

DISSERTATIO HISTORICA

DE

CIVITATIBVS

HANSEATICIS *V. Gadebusz*

cùm in genere, tùm de nonnullis, ac præsertim
LIVONICIS, in specie,

Quam

Gratioso DIVINI NUMINIS auxilio

atque

Benevolo Amplisf. Facult. Philosoph. suffragio

IN ACADEMIA SALANA

PRÆSIDE

DN. M. VLDARICO HEINSIO,

prælaudatæ Facultatis Adjuncto,

placida Eruditorum συζητησ̄ exponit

AVCTOR-RESPONDENS

HENRICVS MEIER,

Riga - Livonus,

Philos. & SS. Theol. Cult.

Anno *ωαρθενοβογιας* M: DC. LXXXIV.

d. *Februar.*

H. L. Q. S.



SVMMS REGIÆ RIGENSIVM
REIPVBICÆ PATRIBVS,

V I R I S

*MAGNIFICIS, Nobilissimis, Amplissimis
ac Consultissimis,*

DOMINO BVRGGRATIO
REGIO,

DOMINIS CONSVLIBVS,

Totique

INCLYTO ORDINI SENATORIO,

ut &

V I R I S

*Nobilissimis, Splendisssimis, Dignitate ac virtute
Clarissimis,*

MAJORIS CIVIVM COLLEGII
TRIBVNIS & SENIORIBVS,

Dominis, Patronis ac Fautoribus suis sub-
misso cultu & vultu perpetim honorandis,

*Pristinorum beneficiorum cumulatissemè sibi exhibitore-
rum probè memor, primos Academiae labores debitum
in Patria Patres obsequium & amorem indefessum
testaturus, in sempiternam sui memoriam humillimè
offert ac consecrat*

HENRICVS MEIER,

Autor Resp.



In Nomine JESV!

DISSERTATIO HISTORICA,

de

Civitatibus Hanseaticis cum in genere, tum de nonnullis, ac praesertim LIVONICIS, in specie.

§. I.



Ullum est dubium, quin in eo ὁμοψήφως mihi experiar fere omnes, ut credant historicas observationes tantò esse acceptiores, quantò se magis intra limites rerum pauciorum continent; quandoquidem plura ob amplam dicendi materiam vix dignè simul

pertractare licet; cum neminem fugiat, quòd pauciora semper majori cura evolvere possimus, quàm si in vastum narrationum nos immittamus pelagus. Atque idem est, quod problematum Græcorum Auctor, quem communiter volunt esse Aristotelem, *sect. XII. qu. 9.* proponit quaerendo: *Διὰ τί ποιετῶν ἰσραηλιῶν ἡδίων ἀκρόασι τῶν παρ' ἐν συνηθηκῶν, ἢ τῶν παρ' ἐν πολλὰ πειραματευομένων; Quamobrem, ceu vertit Theodorus Gaza, lubentius eas historias audimus, quæ rem unam exponunt, quàm quæ plures?* ac tum sibi ipsi respondet: *ἢ διότι τοῖς γνωριμωτέροις μᾶλλον παρ' ἐξομοῦ, καὶ ἡδίων αὐτῶν ἀκρόασι; γνωριμωτέρον δὲ ἐστὶ τὸ ἄριστον τῶ ἀορίστῳ τὸ μὲν ἐν ἐν ἄρισται. τὰ δὲ πολλὰ, τῶ ἀπείριστ μετέχει.* *An quod rebus magis at-*

4

tendimus notioribus, easque libentius audimus. Notius autem est, quod definitum: unum itaque finitum est, plura autem infinito participant. Quæ dum afferro, unà quoque Tibi B. L. exposuisse causam Dissertationis hujus de *Civitatibus Hanseaticis* mihi videor; fatius enim primum in paucis ingenii periclitari vires duxi, quàm si statim spissa Historicorum monumenta involassem, resque à multis retro seculis gestas commemorare, aut prolixos imperiorum atque regnorum catalogos texere sustinuissem. Sed præterea & pii officii hoc, quicquid est opellæ, videbatur efflagitare ratio. Patria, quam veneror RIGAM Livoniæ, Civitas haut postrema Hanseaticarum est, licet Hanseæ postremò cum Dantiscana Borussia, ceu constabit infra, accesserit. Ut igitur vel hac ratione aliquam debiti in patrium solum partem explerem, præsentem materiam pertractandam & ventilandam suscipere libuit. Constitueram equidem patriæ monumenta penitus inspicere, cum Historiam RIGÆ meditarer; verùm literis fui edoctus, longe cum successu feliciori tale opus Virum Nobiliss. ac Amplissimum, Dn. M. HENN. WITTE, Gymnasii Patrii Professore Celeberrimum, Præceptorem quondam meum & Patronum maximè colendum, moliri; unde conatum istum repressi, persuasus materiam in Civitates Hanseaticas inquirendi commodè mihi relictam fuisse. Hæc itaque dum aggredior, DEI O. M. Gratiam, quâ operi isti conficiendo clementissime adspirare dignetur, nec non Tuam L. E. promptitudinem, quâ operi confecto favere velis, maximò opere imploro.

§. II. Rem verò omnem exordiemur à nominibus, quippe
 quæ notiora sunt nobis, nam totum quoddam & συγκεχυ-
 μένα μᾶλλον audiunt, ut habet Philosophus Lib. 1. Φυσι-
 κῆς ἀρεθάσεως Text. 5. πέπονθε, inquit, δὲ ταύτῃ τῆστο τρέ-
 πον τινα καὶ τὰ ὀνόματα πρὸς τὸν λόγον. Ὅλον γάρ τι καὶ
 ἀδιορίσως σημαίνει. *E*venit verò *ἔ* ipsum (scil. quod
 proximè de universali dixerat) *ut nomina similiter ad de-*
definitionem se habeant; Totum enim quiddam ἔ *con-*
fuse (indefinitè) *significant.* Ut idem præsentī loco ex-
 periamur, tantum alicui videbitur abesse, ut facilius quid
 rei, quàm quid nominis, sint civitates Hanseaticæ, definire
 liceat: in tantum enim Auctores nominis *Hanseatica* &
eliso e, Hansatica, incunabula expansuri à se abeunt, ut
 vix duo aut tres sibi in originatione unâ deprehendantur
 ὁμόψηφοι. Equidem Christoph. Besoldus rem adeò ex-
 peditam sibi hac in parte pollicetur, ut etymon hujus vocis
 non sollicitè indagandum esse pronunciet: *Cum* (sunt ver-
 ba Besoldi Thesaur. Pract. p. m. 375. sub voce *Hanse-*
Städte.) *Ratisbonæ sit Magistratus, qui Hansgraff in-*
digitatur ἔ *qui cognoscit de litibus concernentibus mer-*
caturam. Hacque ratione Hansee-Städte nihil aliud
essent, quàm Handel-Städte. Hanc præsertim sequi
 derivationem mavult Joh. Limnæus Jenens. Lib. VII. Jur.
 publ. Imperii Romano-German. c. I. num. 65. & 69. *Dici*
poterat, inquit, Hanseaticas dictas primum Handel-
Städte à commerciis, quibus indulgent, postea corrupto
vocabulo Hansel-Städte/ἔ *denique corruptius Hansee-*
Städte. *Nec hac conjectura tantum, sed ἔ* *firmata*

vetustate, cui Hansgrave idem erat ac Handelsgrave.
 Verum, hanc realem magis significationem, quam nominis derivationem esse, ex Matth. Stephano Lib. II. de jurisdic. p. II. c. III. n. 4. optimè judicat Theodor. Reinkingk. Lib. I. de Regim. secul. & Eccles. class. IV. c. XX. n. 54. Et quid? si civitates à commerciis, quæ in illis vigent, nomen accepissent, aut solæ, aut maxime tum demum ubi cœperunt, commercia tractassent; at neutrum dici potest. Hæc forte Besoldus subolfaciens sententiam corrigere, ipsasque Hanseaticas ab antiquo Gothico verbo *ansi* deducere maluit in differt. de jure & imper. civit. imper. num. 13. Vid. ipse Thes. pract. sub voce *Frene Francken*/ ubi Hadrianum Junium in Hist. Batav. c. IX. fol. 73, etymon quoque Francorum à *Frey* & *ansi*, quasi *Freyhansen*/ derivantem, nec non Theodorum Reinkingium cit. loc. hac in parte sibi adstipulantem adducit.

§. III. Sed & huic originationi non sine causa alii fidem derogare non dubitant: ita D. Rutgerum Rulandum, Aquisgranensem Tract. de commisar. & commision. cam. imper. part. II. Lib. V. c. IV. n. 56. suam ultimò expositam sententiam (non quidem expressè id facit Rulandus, sed aliam surrogando, tacite) improbare Besoldus queritur cit. loc. Nec immerito Rulandus hinc cum reliquis abiisse videtur; quod ut rectius probetur, nominis Gothici *ansi* vel *anse* significatum proprium inquirere paucis attinet. Maestabantur verò quondam hoc nomine proceres & Heroës, eoque virtute, dignitate ac meritorum amplitudine præstantiores inter Semi-Deos à Gentilibus referban-

rebantur, ut testis est Jornandes Lib. XVII. de rebus Gothicis, ubi inquit: *Tum Gothi haud segnes reperti, arma capessunt, primoque armati conflictu mox Romanos devincunt, Fuscoque Duce extincto divitias de castris militum despoliant magnaque potiti victoria; tum proceres suos quasi, qui fortunam vincebant, non puros homines, sed Semi-Deos, i. e. Anses appellaverunt.* Vid. Joh. Angelius Werdenhagen part. III. Rerum publ. Hanseat. in præf. p. 27. & Joach. Hagemeyerus comment. de foed. Civit. Hanseat. c. I. Cujus rei vestigium hodiernum quoque reperire licet; ita, ut ab Anses, addita asperatâ, in Helvetia & Rhætia Nobiles & Optimates à plebeque diversam factionem foventes adhuc dum Hansi appellari credantur. Sic & hi, qui supra sortem suam æstimari volunt, *гевиндъ* in inferiori Saxoniam atque Westphalia eodem nomine salutari hodie perhibentur; *Dat willen grote Hânse sien* &c. ut habent Reincking & Besoldus cc. ll. quorum ille hanc in rem adducit Herman. Hamelmannum 3. Chronol. Oldendorp. fol. 423. ex Reinecio ita loquentem: *Daß die Hanse-Städte von dem Gothischen Wort Anses, damit die Gothen ihre vornehme ansehnlichste Herren genennet / ihren Nahmen haben sollen / als die von wegen ihres Kanffhandels und Reichthums und der Verbündnis den andern vorzuziehen. Von solchem Wort Anses sollen auch die Teutschen noch heutiges Tages die Reichen und Gewaltigen / die grossen Hanssen nennen.* Verumenimverò tanti momenti non sunt, quæ ab autoribus, dictæ originationis patronis, afferri solent,

ut nos ad asensum pertrahere valeant; cum toti confidamus, nec ab ipsis laudatissimis civitatibus hoc nomen ab Anses deductum, absque arrogantiae cujusdam nota, hodie tolerari, nec quondam ferri potuisse. Unde nostro quidem judicio rectissime Joh. Angel. Werdenhagen part. III. Rerumpubl. Hanseat. c. XXII. *Nimis confidenter, inquit, id in Polit. Lib. IV. c. VI. num. 11. Besoldus decernit, quando ex Hadr. Junio Bat. fol. 73. & 99. vocabulum hoc ab Ansi Gothico verbo, quod proceres tales, qui ceteros mortales fortunâ & opibus antecellant, imò & Semi-Deos denotat, civitatibus Hanseaticis impositum adseverat; quum tamen nulla tam insipide ambitiosa inter omnes inveniatur, qua sibi ejusmodi arrogantiam adscribere velit. Quid? quod tum temporis ubi hoc coepit nomen, aliæ non minus opulentæ civitates ægrè tulissent, Hanseaticas sibi eo titulo primatum quendam tribuere velle, cum tamen nec æque omnes ex Hanseaticis ejusdem exstiterint fortunæ & roboris.*

§. IV. Nec juvat Besoldum laudatus Theod. Reinckingk, quem sibi adstipulantem jactat, cum partim derivationem saltem non adeò remotam sibi videri timidiusculè fateatur; partim mox in sequentibus aliam, quam nunc in medium afferemus, non inconvenientem commendet, ac variis locutionibus è recessibus imperii petitis confirmet. Est verò ista nominis notatio à plurimarum civitatum fœdere Hanseatico conjunctarum, desumpta; Siquidem mare, Germanis See dictum, alluit maximam istarum

rum civitatum partem; aut si aliquantum à mari fuerint dislitæ, marinas tamen negotiationes ut plurimum exercuisse leguntur. Unde Hanseaticæ civitates dicuntur Germanis an-See-Städte/ quasi an der See liegende Städte. Huic notationi potissimum favet D. Rutgerus Rulandus, qui Lib. V. part. II. de commissariis & commission. cam. imp. n. 56. inquit: *Civitates Hanseaticæ seu Hanse-Städte nomen inde (ut opinor) habent, quod maxima eorum pars mari adiaceat, ideo See- und ansee-Städte vocata sunt, eique voci litera H successu temporis euphonia gratiâ adjecta est.* Accedunt huic sententiæ plures, ut Paulus Matthias Wehnerus observat. præct. in voce Hansee Städte (*cujus verba sunt: Societas Hanseatica, die Hansisch Societät constat Civitatibus Hanseaticis, Hain = Hanse / Sehe / Ansee oder am Sehe Städte dictis ita, ut opinor, quod maxima earum pars mari adiaceat.*) Arumæus discurs. VI. ad auream Bullam thes. 10. Matth. Stephanus de jurisdic. Lib. II. part. II. cap. III. num. 4. aliique. Nec defunt, qui eandem originationem multis imperii constitutionibus ac recessibus firmari credunt, in quibus sæpe dicuntur Matth. Wehnero l. c. atque Reinkingio Lib. I. Reg. Sec. ac Eccl. clas. IV. c. XX. n. 57. & 58. testibus, See- und Ansee-Städte/ R. U. de Anno M D XLIX. Und als erslich in solcher Ringerung ibi. daß mit den See- und Ansee-Städte gehandelt werde. item R. U. de Anno 1582. Wir wollen darbeneben zur bestärkung solcher nothwendigen defension mit den Hain- und See-Städten handeln lassen. Hoc est, quod Reinkin-

gius annotat, scil. civitates Hanseaticas aliquando dici *Hann und See-Städte* / ut R. A. zu Speyer de Anno 1542. *Demnach haben wir auf der Churfürsten &c. R. A. de Anno 1576. Wir wollen auch / ib. mit den Hann und See-Städten handeln lassen &c.* Hisce tamen non obstantibus civitates istas à mari malè dici judicat Isacius Pontanus Lib. II. de origin. Francic. cùm partim harum civitatum minima pars, ceu infra ex catalogo constabit, mari adjaceat, partim genius lingvæ Germanicæ ejusmodi intorsionem respuere videatur, ut pro *Am See* efferamus *Han See*. Quod verò probationem è recessibus imperii petitam concernit, non incongruè, monitore Joh. Limnæo cit. l. num. 67. responderetur ex ipsis recessibus contrarium potius evinci; si enim *See- & Amsee-Städte* idem notarent, sane sine τω-βλογίας vitio vix fieri potuisset, ut duo hæc nomina conjungerentur, quod factum vidimus recessu imperii de Anno M D XLVIII.

§. V. Quid verò nomen *Hann* sibi velit, quo civitates istas nonnulli maclârunt imperii recessus, dixeruntque *Hann-Städte*? non immeritò quæritur: Limnæus cit. loc. num. 60. credit eo nomine amplitudinem & celebritatem urbium Hanseatico foedere junctarum notari, eò, quòd *Hann* idem antiquitus, quod *magnus* sonuisse verosimile sit. Verba ejus hæc sunt: *Hann mihi idem est, quod magnus, ab Hunnis, quorum procera erat statura nobis usurpatum. Majores enim nostri Hunnos dixerunt, die Hayne und grosse Hannen eos, qui staturâ Hunnos aequabant, & adhuc hodie in aliquibus locis (ut & hic in Thu-*

Thuringia) *urbe majores dicuntur Heimische Weinbeer.*
Heynstädt hoc sensu erunt grosse Städte. Verum ean-
dem voculam & alio sensu Gallis hamum significari idem
annotat; creditur hac ratione alteram simul exprimi vo-
cem, *See-Städte.* Hoc in nomine, inquit, si quis ad
exempla Goropii ludere vellet, illi posterius *See-Städte*/
explicatio tantum prioris erit, & *Hann-* ac *See-Städte*
unum idemque: idque inde, quod *Haim* & *Hain* Gallis
hamus est piscatorius, quo illi, qui ad mare habitant, utun-
tur maximè, & haut rarò ipsimet hami sint, omnia, quæ in
mari sunt, attrahentes, eo sensu, quo Goropius Becanus
Lib. VI. antiquit: Antverp. pag. 614. Anglos ab angeln
dictos memorat. Quæ singula violentam potius vocabulo-
rum detorsionem, quàm derivationem legitimam spirant.

§. VI. Cæterum Hanseaticæ civitates aliis quoque cre-
duntur nomen habere à Germ. *Hand/manu*, quam robo-
ris fidei ac defensionis vinculi symbolum esse volunt.
Dextrarum enim compositione fidem sponderi solitam an-
tiquitus observatum esse memòrat Cælius Rhodigin. Lib.
IV. lect. antiqu. c. III. Conjunctio verò manuum simul, ex
qua efficitur numerus denarius, perfectam animorum con-
fensionem symbolo quodam significari tradit idem Rhodi-
gin. l. XXII. c. XIV. Hac ratione civitates istæ forent so-
ciæ ac in genere confœderatæ civitates, quarum vinculum
bonæ fidei esset ac inviolatæ justitiæ. Verum contra hæc
Limnæus excipit, asserendo, nomen dictum longe nimis ef-
se petitum; & si ab *Hand* deducendum fuisset, propius ab
Handelen / ut supra notatum est, deduci conveniens esse:

nam hoc ab *Hand* putatur descendisse eò, quod manus in commerciis dando & accipiendo perfici solitis officiosa sit maximè.

§. VII. Restat, ut denique pro communiori sententia dicamus *Hansam* quondam congregationem & societatem notasse, ut hinc commodissime Civitates à societate ista inter se inita denominari posse videantur; nulla hic violenta vocis inflexione, nulla accedente significatûs proprii detorsione. Joh. Angel. Werdenhagen quidem præf. part. III. R. H. ex Jacobi Meyeri Annal. Lib. VI. ad annum 1168. *Hansam* quodvis onus & exactiorem antiquitus significasse recitat. Sed nec ipse Werdenhagen longius ab istius vocis, quem ante adduximus, significato abit cit. loc. *Etenim*, inquit, *Hansa duplex erat ex Vandalico intellectu, ut & onus & congregationem denotaret, velut adhuc apud Dravanos illos ejus rudera loquela apparent.* Nos impræsentiarum posteriori acceptioni, qua *Hansam* congregationis & societatis nomine venisse dictum est, accedere non dubitamus, ita ut & nostro qualicunque judicio Civitates Hanseaticæ ab *Hansâ* societate & congregatione, quam non commerciorum tantum gratiâ, sed & communis salutis ergo, ceu infra docebitur, nomen accepisse rectissimè perhibeantur. Cui sententiæ accedet pondus majus, ubi aliorum quoque suffragiis rem paucis comprobata dederimus.

§. IIX. Prodit igitur primum Henricus Sudermannus, JC. Colonienfis & ad XL. annos fœderis Hanseatici Consiliarius; Hic Linnæo c. a. l. referente, docet vocabulum

Hansa

Hansa esse Gothicum aut Vandalicum, significans congregationem. Quod ipsum probat ex Novo ejus linguæ Testamento, in quo pro verbis: *concilium fecerunt in unum*, extet *Hansa*. vid. Honorius Thesaur. Polit. Vol. II. pag. 279. Ipse Joh. Limnæus hanc quoque suam facit sententiam, ut c. l. eam se præ reliquis sequi fateatur, adscito Gallorum suffragio, quibus *hanser un homme*, idem esse dicit, ac recipere aliquem in civium numerum, ut libertatibus atque privilegiis eorundem fruatur. Ex recentioribus horum insulit vestigiis Joachimus Hagemeyerus, Commentar. de fœdere Civit. Hanseat. cap. I. qui & ipse Georgium Fournierum in partes suas trahit ex Geograph. Orb. notit. Lib. III. cap. XII. Hisce jungi possunt Hornius disfert. polit. p. 26. & Andr. Reyherus Theatr. Rom. Teuton in voce *Hansa & Hanseaticus, a, um*, quam *fœderatum* sonare docet, insuper addens: *Hanseatica urbes nomen non à maris vicinia* (quasi *ansee Städte*) *aut magnitudine* (quasi *groß Hansen - Städte*) *acceperunt; sed quod, inter se fœderata, communem colerent societatem.* Hoc enim *Hansa* denotat; unde verbum hodieque usitatum *Hansen* (*Hänfeln*) quo utuntur, cum quis primum in societatem aliquam recipitur, quod inprimis mercatoribus solenne. In quibus & nos meritò acquiescentes, hujus de nomine susceptæ operæ finem tandem facimus.

§. IX. Proximum nunc est, ut Civitatum Hanseaticarum evolvamus originem: Non quidem inoffenso in his, quæ temporum vetustate dudum oblitterata sunt ac Hi-

Historicorum monumenta effugiunt, licet progredi pede; incerta hæc omnia atque dubia existunt, nec ubi tuto pedem figere possis, facile invenies. Quâ de difficultate præsentis loco quærendi materiam habemus sat amplam: sane, si quæ per longum temporis tractum incertitudine quadam laborare putantur, hæc de Hanseaticarum Civitatum originibus principem fere sibi vendicabunt locum; quo enim cœperint tempore inter Historicos nondum convenit. Aliqui civitatum istarum initia ad annum CHRISTI MCC LXX. referunt, vid. Barthol. Keckermannus Lib. I. Polit. cap. XXIV. Majori tamen testium numero videtur probari posse, quòd paulo ante vel post annum MCC coaluerint ac civitates foedus inierint ante tempora Friderici II. Imperatoris; ubi post felicissimos fecerunt progressus, ut viribus suis metum multis injicerent Principibus ac Regibus: ceu idem constituisse circa annum MCCC ex Chytr. Chronico Saxon. fol. 672. recitat Matthias Stephanus Lib. II. part. II. cap. III. Cui accedit Jac. Augustus Thuanus Lib. LI. Histor. p. 838. vid. Joh. Limnæus Lib. VII. Jur. Publ. cap. I. n. 70. Quibus addantur Paulus Matthias Wehnerus observat. pract. in voce *Hanse = Städte / & Theod. Reinkingk* Lib. I. clas. IV. n. 52. nec non Arumæus de comitiis cap. IV. n. 130. unicum hic promit Waremundum ab *Ehrenberg* de Foederib. Lib. I. c. II. n. 44. qui multò retro seculis, ante tempora modo dicta, societates has coaluisse suspicatur.

§. X. Quicquid tandem de eo sit, communiore sententiam allatam Auctorum suffragio firmari novimus; ita, ut cum

iis fidem derogare penitus non audeamus, nobis habeamus persuasum primordia civitatum vel ab ipso seculo XII. vel non longe post esse derivanda. In quo de consensu Joh. Angelii Werdenhagen atque Joachimi Hagemeyeri non parum gratulamur. Ille part. III. Rer. Hans. cap. XV. vetustissima documenta in hoc negotio se vidisse refert circa annum CHRISTI M C XCIV data, quæ ipse tamen cit. loc. non promit. Dubium verò nullum est, quod jam tum ann. M CC LXXVIII civitates foedere isto junctæ exstiterint, cum manifestò id arguat extractum ex Regis Magni, seu Olai III. privilegio sub dato Tunsberg. ann. 1278. quod Werdenhag. l. c. adducit. Cui accedunt duo alia extracta ex Regum, Magni VII. & Haqvini VII. privilegiis ann. M CCC XIX. ibidem. His fortè & similibus Joachim. Hagemeyerum inductum opinamur, ut in suo de foeder. Hans. commentario cap. I. diceret: *Ex vetustissimis documentis, quæ ad manus meas pervenerunt, conjicio civitates quasdam maritimas inferioris Saxonie, imprimis autem Lubeecam & Hamburgum, ut mercaturam liberè exercerent, paulo ante Friderici II. Imperatoris ætatem, circa ann. 1200. societatem iniisse, atque hac occasione cum postea alia remotiores extra Saxoniam sub certis legibus accederent, natam esse illustrem confœderationem, quam hodie Hanseaticam vocamus.* Tantum de Civitatum Hanseaticarum originibus! Nunc, antequam de progressibus earum aliqua in medium afferamus, numerum ac divisionem harum civitatum excutere libet.

§. XI. Generali divisione Civitates Hanseaticæ dispesci possunt (1) ut politicè considerantur; suntque *alia imperiales & libera* v. g. Lubeca, Hamburgum, Colonia &c. *alia Imperio Romano mediatè subjecta*, quas vocant conditionatas, v. g. Anclamum, Stetinum, Colberga, Lunenburgum, &c. atque *aliæ tandem sunt extra Imperium Romanum constituta*, v. g. Dantiscum, Thorunium, Rigga, Dorpatum &c. (NB. loquimur de præsentibus harum civitatum statu, nam quondam & hæ ad Imp. Rom. spectârunt.) (2.) Civitates istæ *Geographicè* consideratæ, ratione sitûs, sunt vel *aliæ Vandalicæ & aliæ ultra-Vandalicæ*, h. e. quæ Vandalicis postea accesserunt; vel *aliæ sunt Orientales, & aliæ Occidentales*. Cum enim Germaniæ partes se ita respiciant, ut inferior Saxonia à Clivia, Westphalia &c. orientem versus distet; hinc *Orientales* civitates Hanseaticæ constituuntur: *Lubeca, Hamburgum, Brunsviga*, unâ cum reliquis Prussiacis & Livonicis. Causam inde perspicere facile est, cur isti à Gallis nec non Belgis vocentur Osterlandi, scil. in Osten. s. ortum siti. Ita enim Bodinus de Republ. Lib. I. cap. VII. num. 96. *Videmus jura commerciorum singularibus pactis populorum ac Principum conventis contineri; cujusmodi sunt ea, quæ à Regibus Francorum tributa sunt Balticis civitatibus, quas ipsi Osterlandos appellant*. Reliquæ igitur præter modò dictas occidentales dicendæ venient, harumque caput est Colonia Agrippina.

§. XII. Numerum civitatum Hanseaticarum quod spectat, non eadem de eodem omnium est sententia; nec videtur

tur certus omni tempore earum numerus definiri posse, cum dubium nullum sit, quin illæ, ut quondam accreverunt, ita post paulatim decreverint, ut vel hodie supersint admodum paucæ. Matthias Stephanus Lib. II. de jurisd. p. II. c. III. n. 6. olim Civitates Hanseaticas plus minus 83 fuisse docet, sequutus forte in hoc unà cum Jac. Aug. Thuano, David. Chytræum in Chron. Saxon. cujus fide 80. civitates à Thuano afferuntur. Ex his tamen postmodum, cum aliquæ ejectæ fuerint, nec non sponte sua aliæ à fœdere secessum fecerint, remansisse sexaginta sex Civitates Hanseaticas credunt, Thuano Lib. LI. Historiar. & Dresfero de Urbib. Germ. p. 626. attestantibus, ita, ut supersint VI. Vandalicæ, IIX. Pomeranicæ, XIII. Saxonicæ, VI. Prusiacæ, III. Livonicæ, X. Westphalicæ, VII. Clivicæ vel Marchicæ, III. Transisulanæ vel Transisalanicæ, VII. Geldricæ & denique III. Frisicæ. Majorem tamen harum civitatum numerum affert Matth. Stephani c. l. quem ordine alphabetico digestum subjicere non pigrabimur; sunt autem *seqq.*

Anclamum	Brunsviga	Daventria	Goslaria
Arenacum	Buxtehuda	Dorpatum	Göttinga
Afcherlebia	Campi	Duisburgum	Gröninga
Berolinum	Chilonium	Elbinga	Gryphiswal-
Bilefelda	Colberga	Elburga	Hala (dia
Bolswerda	Colonia	Emmericum	Halberstadiū
Brandeburgum	Cosfelt	Francofordia	Hamburgum
Braunsberga	Cracovia	ad Oderam	Hamelia
Brema	Dantiscum	Golnovia	Hamma

Hannovera	Neomagus	Rugenwold	Sufatum
Hardovicum	Northeimia	Ruremunda	Thoruniū
Helmstadium	Onna	Soltwedel	Tremonia
Hervordia	Osnabrugā	Seehufen	Ulzenia
Hildefia	Osterborch	Stadium	Vratislavia
Lemgovia	Paderborna	Stargardia	Warburga
Lippia	Qvedlinbur-	Stavaria	Wenloa
Lubeca	gum	Stendalia	Werben
Lunenburgum	Regius mons	Stetinum	Weselia
Magdeburgū	Revalia	Stolpe	Wisbui
Minda	Riga	Stralesfundia	Wismaria
Monasterium	Rostochium	Svolla	Zutphania.

§. XIII. Ipse tamen Matth. Stephani non audet omnes, quas hīc enumeravimus, civitates foedere Hanseatico æquè junctas affirmare, ne quidem suo tempore; multo ergo minus id de nostris poterimus affirmare temporibus, quin potius Joachimo Hagemeiō omninò accedendum esse credimus, asserenti, *singulas modò recensitas* amplius ad societatem non pertinere, cū vel ob imbecillitatem à corpore recesserint vel ob amissam libertatem foedus neglexerint. Unum non possumus, quin ex Angel. Werdenhagio part. III. R. H. C. XXII. adjiciamus; is à D. Chytræo & iis, qui hunc sequuntur, Thuano, Wehnero, Bertio & aliis Deminam, Civitatem Pomeraniæ citerioris florentissimam, inter Hanseaticas non referri, sed omissam hæctenus esse queritur.

§. XIV. Inter memoratas civitates præterea certum observatum esse ordinem legimus; nam primū tribus, postea

postea verò accedentibus Prussiis quatuor classibus distinguebantur, quas vocabant *Quartier* / seu quaterniones: singulis quadam præfecta metropoli, ubi conventus celebrabant bonum publicum atque imprimis rem mercatoriam concernentes. Primæ classis, ipsiusque integræ societatis gubernacula tenebat libera Imperialis Civitas, Lubeca, quæ quondam & potentia & splendore reliquas Civitates longe antecedebat, quod ipsum vel nominis videtur innuere ratio; dictam enim volunt Lubecam quasi laudis angulum *Lob=ect/ect des Lobs* / ut sit urbium in isto littore sitarum decus ac limes Imperii Romani in Germania. (Judicium hoc de etymo viri exacti iudicii, Celeberrimi DN. D. CASP. SAGITTARII, Patroni ac Præceptoris nostri summe colendi, videsis in Histor. antiqua Lubecensi cap. I. §. IV.) Vel nomen accepisse creditur à corona, lingvâ Vandalicâ, quod sit tanquam illustris Germaniæ Imperii corona. In libertatem Civitas hæc demum plenam est asserta tempore Friderici II. Imperatoris anno CHRISTI 1209. postquam sub Friderico I. Roman. Imp. jam Anno 1182. Imperio fuerat adscripta Vid. Joh. Limnæus Lib. VII. Jur. publ. cap. XXX. n. 4. Ejus rei signum exhibent varia bella, quæ laudata civitas felici cum successu adversus hostem subinde gessit, de quibus prolixè testantem adeas Werdenhagium part. III. R. H. cap. XVI. & XVII. Caput totius Hansæ celebratur Lubeca; hîc enim de rebus suscipiendis consilia inierunt, synodos instituerunt, literas publicas servarunt, Legationes hinc denique ad Imperatorem & exteros Principes exercuerunt. In hoc Civitatum Hanseaticarum

circulo Lubecæ, capiti, jungebantur Civitates Vandalicæ quinque: *Hamburgum, Luneburgum, Rostochium, Wismaria ac Stralesundium*; nec non Pomeranicæ octo: *Palao-Sedinum, Anclamum, Colnavia, Gryphisvaldia, Colberga, Stargardia, Stolpa & Rugevaldum*. Conf. Hagemer comm. cap. III. Quibus nos, monitore Aug. Werdenhagio, addimus *Deminam*.

§. XV. Secunda classis est Civitatum Westphalicarum, Clivicarum, Geldricarum, Frisicarum &c. Hujus metropolis existit Colonia Agrippina, quam vocant, Ubiorum, (hoc nomine venerunt Colonienfes quondam, quippe qui partem Germaniæ antiquæ cisrhenanæ inhabitârunt) à coloniâ, Agrippinæ Claudii Imperatoris conjugis auspiciis, deductâ nomen cognomenque habens. Urbs hoc tempore inter Germaniæ Urbes maxima, emporiumque ad Rhenum celeberrimum, ut habet Ph. Cluverus introd. Geogr. lib. III. c. IX. Urbs Imperii est libera, cum sub Ottone I. Imperatore, à Francorum Rege, cui aliquantum adhæferat, cum denuò defecisset, Imperio rursus adjecta fuit. Vid. Linnæus Lib. VII. Jur. publ. c. X. & Georgius Hornius part. II. orb. polit. p. 101. Civitas hæc ubi viribus non minus eminebat quondam, quàm hodie amplitudine, factum est, ut ab ea non parum præsidii sibi reliqui socii promitterent, inde caput sibi illam eligerent ac secundæ classis metropolin. Cui proinde subsunt civitates Westphalicæ decem: *Monasterium & Osnabruga*, pace à Cæsarianis & Svecicis hujus seculi anno 48. ibidem inita, clarissimæ, *Tremonia, Hervordia, Susatum, Lemgovia, Cosfeldia, Pader-*

derborna, Lipstadium & Bilefeldia; Sex Marchicæ seu Clivicæ: Emmericum, Vesalia, Warburgum, Duisburgum, Hamma & Unna; Tres Transfalanicæ: Campi, Daventria & Svolla; septem Geldricæ: Arnheimum, Elburgum, Neomagus, Venloa, Ruremunda, Hardervicum & Zutphania; Tres Frisicæ: Bolsverda, Gröninga & Stavera. vid. J. Hagemeyer d. l. Cæterum de ipsa metropoli nobis dubium adhuc movent D. Chytræus in Chronicis atque Georgius Hornius d. l. quorum posterior Coloniam Anno 1481. & prior demum 1487. foederi Hanseatico accessisse perhibent. Verumenimvero quòd minimum ista isti interfuerit foederi à quinquagesimo octavo seculi XIV. anno vel solus testetur Crantzius Lib. VII. Histor. Danicæ cap. XXXIX. Hoc enim referente jam tum dicto tempore Colonix bellum contra Waldemarrum VI. Danix Regem decernebatur solennibus ibidem institutis comitiis, ubi tam prospero belli gavisi sunt Hanseatici progressu, ut ipsam Regiam sedem impeterent non modò, sed etiam occuparent.

§. XVI. Tertia nunc sequitur Hanseaticarum metropolis, tertiumque inter ipsas IV. primarias locum obtinens Brunsviga; sive Brunsvigum & Brunsvicum, quo nomine originis infimul innuitur ratio. Exstrui enim cœpta à Brunone & Tanquardo fratribus abnepotibus Wittikindi, Ducibus Saxonix Anno CHR. N. DCCCLX. Civitati itaque alter frater nomen peperit & alter arci, unde Tanquarderoda appellata est, ceu Linnæus ex tract. Germ. dem *Historischen Braunschweigischen Bericht* part. I. pag. 21. 22.

refert c. I. cap. 8. addatur omnino Celeberr. Dn. D. SAGITTARII disputatio de originibus atque incrementis Urbis Brunsvicensis §§. 18. 19. & sequ. Ipsa Brunsvicensis regiminis forma, varia fuit: mox Ducis sui imperium ultrò agnoverunt, mox recusârunt, ingentibus subinde excitationis diffidiis ac motibus. Et per longum tempus sumtam libertatem masculè asseruit, confœderatione potissimum Hanseaticarum & Belgicarum civitatum nixa; unde & ubi Anno M DC XV. ab Henrico Julio acerrimè peteretur ac obsidione cingeretur, auxiliis confœderati Belgii liberata evasit, præstito tamen sub certis conditionibus homagio. vid. Hornius c. I. Verùm illa non de Henrico Julio, sed rectius de Friderico Ulrico, Duce Brunsvicensium refert B. D. Ægidius Strauchius in Sleidano continuato pag. 532. Tandem Brunsviga anno hujus seculi LXXI. in dominium Serenissimi Ducis Rudolphi Augusti cessit, ubi & ipse nunc sedem Ducalem fixit. Hæc, quæ tam inconstanti usa est fortunâ, Civitas insigni vi sua quondam allexit civitates Saxonicas, ut ad morem reliquarum Hanseaticarum, hanc sibi ephorum & caput constituerent, præsertim ubi negotiationi suæ non parum emolumenti accedere ex eâ confœderatione adverterent. Suberant verò ei Saxonicae sequentes: *Brema*, libera Imperii Civitas & viribus optimè instructa, sita ad Visurgin fl. *Magdeburgum* urbs ad pristinum splendorem, quo annis abhinc fere quinquaginta misere exuta est, nescio an emeritura, *Goslaria*, *Ulfena*, *Eimbeca*, *Stada*, Regiminis Svecici sedes, *Buxtehuda*, *Hamelia* & *Minda*. Quarum duæ posteriores hodie limitibus Westphaliæ communiter contineri dicuntur.

§ XVII. Quartum demum in IV. Hanseaticarum metropoles locum, tempore reliquis accedens ultimo occupat Dantiscum seu Gedanum Prussorum; Urbs ad Vistulam sita, ampla est, splendida, dives, libera, certis tamen modis Regno Poloniæ addicta, tutelæ Regiæ enim se committens, libertatem neutiquam amittit. Emporium est longè celeberrimum, commerciorum variis generibus, mercatorum undique ex Anglia, Batavia, Gallia, Hispania &c. concurrentium magnâ frequentiam prælustre, mœnibus ac vallibus nec non castello (*Weichsel-Münde*) munitissimo instructum: unde hostium ingruentium vim sæpe masculè retulit, clades tamen, ut fert felicitatis mundanæ inconstantia, nonnunquam etiam sustinuit. Nomen accepisse Civitas nonnullis creditur à Danis & Getis, ut ab illis Dantiscum, ab his verò Gedanum fuerit appellatum. Quæ si veritati respondeant, nullum foret dubium, quin Gedani initia ad plura retrò secula sint referenda; Getarum enim nomen apud Autores antiquissimum esse deprehendimus. Verùm suspicio haud levis subnascitur, quâ fieri possit, ut nomen alterum longe antiquius, Dantiscum, recentioribus, atque recentius vetustissimis populis deberi asseratur. Sanè in priscis monumentis Civitatem nomine Dantischi & non Gedani venire legimus. Sunt igitur, qui idem nomen deducere laborant à Dan, Codan, Gdan & terminatione Slavonicâ, ut fiat *Gdanske* & postea *Dantz, 10*. Alii denuo ad Danos respicientes ajunt *Dantz, 10* esse quasi *Dansvick* Danorum vicum. Vid. Joh. Ang. Werdenhagius d. l. c. XXIV. p. 717. Hanc dirimere litem nostrum parum nunc interest;

Floren-

Florentissimam hanc esse Civitatem utroque & artium & commerciorum genere novimus, adeò, ut vel sola, quanta commerciorum virtus, & efficacia sit, dicente Werden- tagio c. l. attestari valeat. Philippus Cluverus eam à venalium frumentorum copia tantopere prædicat, ut totius regni granarium esse queat. Quæ Gedani fortuna prospera, ut multos sui peperit admiratores, ita & reliquas Prussicas nec non Livonicas civitates præcipuas habuit veneratores, ut inde fœderis Prussico-Livonici eam superiorem non agnoscerent modò, sed & ultrò expeterent. E confœderatis verò numerantur Prussicæ sequentes sex: *Mons Regius, Thorunium, Elbinga, Culma, & Braunsberga*; atque Livonicæ quinque: *Riga, Parnovia, Dorpatum, Revalia & Narva*; quarum duas postremas J. Hagemeyer, aliorum forte in hisce fidem imitatus, prorsus omisit. De his singulis paulo nunc agam fusius, cum historiam patriæ meæ propius concernant, literisque hæctenus de his minus proditum fuerit. Ubi vel *αὐτοψία* vel paucorum aliorum fide nixus rem omnem conficiam.

§. XVIII. A Prussis facturus initium opportunè electione Geogr. introd. Philip. Cluveri memini Prussos perperam nonnullis dici Borussos, quasi à Boruscorum antiqua gente, quam inhabitasse Moscoviæ tractum credidit Ptolemæus, quamq; huc in Prussiam transiisse aliqui suspicantur; Vid. Cluv. Intr. Geogr. c. XXVII. Alii à Bructeris Prussos cognominatos volunt, ita, ut illi ex Westphalia concesserint in Sarmatiam, sedemque inibi firmam occupaverint. Erasmus Stella, ipse, nî fallor, Prussus nomen indit suæ
natio-

nationi à Boruffis populis, qui quondam ad montes Riphæos, auctore Ptolemæo, primùm habitâsse, atque post in hæc loca migrâsse, perhibentur; Borussia itaque eliso secundo elemento, erit Brusia. Sunt alii, qui cum Chytræo è Lib. I. Sax. Chron. Prusorum nomen faciunt à vicinis Russis, non sine insigni probabilitate. Clauditur hæc amplissima atque, ut habet Cluver. c. I. illustrissima, fluviis ac lacubus stagnisque frequenter rigua, nec non frumenti maximè ferax regio, à septentrione sinu Codano & Chrono flumine, quod Memelam, civitatem, in qua arx Electoralis conspicitur munitissima, prope alluit; ab ortu verò Lithvania; à meridie Mosovia & Polonia; & denique ab occidente Casubia cingitur. Divisa est Prussia in Regiam partem ac Ducalem: illa paret Regi Poloniæ, hæc imperio Serenissimi Electoris Brandenburgici subicitur. Universæ, atque præsertim Regiæ Borussiae caput est Gedanum prælaudatum; hanc civitatem excipiunt in Regio districtu Thorunium, Elbinga, Culmia, Braunsberga, &c. Ducalem verò exornant: Regiomontum, Friedlandia, Tilsa, Pasenheimum (cui natales debet insigne Clarissimorum Virorum par) Salfeldia, &c. è quibus prima saltem fœdere Hanseatico reliquis est juncta.

§. XIX. *Regiomontum* seu Regius mons, nomen accepit à monte, cui sedes Ducalis superstructa; Civitas insignis, amplissima, ut vel Regiam Gallorum sedem æquare nonnullis credatur: fertur originem ab Anno M CC LV habuisse. Tribus distincta est oppidis minoribus, Palæopoli, Kniphovio atque Lœbnico, quibus accedit splendidum Ele-

D cto

ctoris Brandenburgici supremi nunc in hac Prusis parte Ducis, palatium. Præterea Academiâ ab Alberto, Marchione Brandenburgici Anno M D XLIV erectâ valde claret, nomen habente à fluvio, Pregelâ, quâ alluitur, unde Academia Pregelana, vel à Conditore, Albertina audit. Magna hîc commerciorum frequentia est, nec alii, nisi Gedano ex parte cedit: confluunt & hic per mare Balticum, quod à Civitate uno prope milliari distat, Mercatores Batavi, Angli, Hispani, &c. *Thorunium* tertia Borussia est Civitas Hansæ foederata, ad Vistulam sita, versus Poloniam XXIV. milliariibus Gedano distans, ut sic commodè sit emporium in re frumentaria & melle aliisque commerciis Polonicis Gedanensibus apprimè inserviens. Nomen videtur impetrâsse ab ædificiorum ac præsertim portarum splendore; ut hinc in proverbium abierit: *Thoren die Schönste / Danzig die Reichste / Königsberg die Weitestte / Elbing die Festeste*. Nostro tempore præcipuè colloquio ann. M DC XLV jussu Vladislai IV Polonorum Regis, pro componendo religionis dissidio, cum infelici tamen successu habito inclaruit. Gymnasium Thoruniense, viris quibus gaudet, clarissimis civitatis haud parum adaugent celebritatem. *Elbinga* quarto accedit loco; Civitas amœna, probè munita, ad lacum Drausenicum sita; nomen habet à fluvio præterlabente Elbing. Gymnasio claret insigni: ab opulentia civium hanc quoque commendant urbem advenæ; Anglorum quondam commerciis in fastigium celebre surrexit. Ultima, quæ in Borussia Hansæ addicitur, Teutonicæ est *Braunsberga*, portum habet in fluvium Passaria, ex quo transitur

postea in mare Balthicum; hinc vix ultra milliare unum
 abest versus orientem oppidum aliud, Frawenbergum di-
 ctum. Hæc Braunsberga religione Pontificiâ infecta tota
 est, unde & Collegio Jesuitarum hodie gaudet. Eandem
 cum Regiomonto creditur habuisse Anno M CC LV o-
 riginem. Nominis occasionem quin mons quidam adjacens
 suppeditaverit, nullus dubito, licet ignorem, unde altera
 nomini accesserit pars, nisi conditorem Brunonem forte
 dictum suspicemur.

§. XX. E Prussia nunc tendimus porro per Curoniam
 in Livoniam, quæ isti à Septentrionali plaga adjacet. Ex
 Geographorum lectione neminem fugere potest, quod
 Livonia sit vel nomen partis vel nomen totius; Posteriori
 significatu tres alias regiones agnoscit, tanquam partes:
 Curoniam, Esthiam & Lethiam. In Curonia seu Curlan-
 dia esse nunc aliquas Civitates, quæ foederi Hanseatico
 interfint, dicere non licet; ast quondam in ea confœde-
 ratas exstitisse Civitates, autor est Joh. Ang. Werdenha-
 gen p. III. R. H. cap. ult. ubi inquit: *In Curlandia verò
 non amplius est Civitas, quæ foedus Hanseaticum re-
 spectat, nisi quod olim Goldingen & Winda (Windaw)
 celebres tum propter aulam Ordinis Teutonici & Co-
 mitia ibidem habita in eo quoque locum obtinuerit
 suum. Quod autem tum temporis duabus istis, Goldingæ
 & Windaviæ delatum est laudis, id, si commerciorum
 spectemus frequentiam, hodie maximè asserere audere-
 mus de Libaviâ (Liebau) insigni aliàs civitate & mercato
 vario florentissima, quem omnem mari Balthico alluenti
 debet, quippe quo magnus per annum navium appellitur*

numerus. Priorem tandem quod concernit significatum, Livonia duas partes postremas notat, nempe Esthiam & Lethiam, in quam per Curoniam & Semgalliam, cujus metropolis est Mitavia, Illustrissimi Curoniæ & Semgalliæ Ducis sedes, transitur; Hujusque, & universæ Livoniæ antea memoratæ sunt Civitates, scil. Riga, Parnovia, Dorpatum, Revalia & Narva, quæ focii Hansæ Teutonicæ referuntur. Unde Livonia nomen primum acceperit, incertum videtur; quodsi tamen paucis nonnullis quis fidem habere non recusaverit, dicendum erit regioni huic nomen ab incolis, Livis, ab ostio Dünæ versus Parnoviam in littore habitantibus, accessisse. Regio cæterum hæc fertilissima est frumenti, mellis ac ceræ feracissima, pascuis ad alenda pecora abundat, aëris clementiâ saluberrima. Ut etiam hâc soli fertilitate ac amœnitate permoti complures aliunde hîc concesserint, quod incolæ respicere videntur suo de Livonia & Curonia proverbio: *Ließland / Bliëß-Land; Churland / Lurland.*

§. XXI. Hanc (forte tamen & illi accensenda erat Curonia) ultimam Christianarum provinciarum olim salutavit Æneas Sylvius in descript. Polon. rubric. de Livon. Pistorius in corpor. Hist. Tom. I. fol. 4. Quemadmodum etiam Thuano Lib. II. circ. princ. extrema Germaniæ pars audit. Hæc Bremensium industria inventa & militum Teutonicorum virtute ad Romanum Imperium & religionem Christianam circa annum CHRISTI M C LXXXVI adacta, prout hæc ex Thuano Lib. XXI. Histor. p. 406. ex Gualtero in Chronol. Ecclesiast. polit. sub anno M C LXXXVI

nobis suggestit Theod. Reinking. Lib. I. de Reg. Sec. & Eccl. c. 1. II. c. IX. n. 61. Circa annum superioris seculi vigesimum secundum verò Livonia religionem Lutheranam, unà cum Pomerania, Borussia, Magdeburgo, Halberstadio, Hamburgo, &c. (vid. ex D. Chytræo Saxon. Hist. Lib. X. & XI. Sleidanus continuatus ab Ægidio Strauchio p. 393.) amplexa celebratur. Imperio itaque, ceu modò constitit, Romano-Germanico fuit subjecta, Imperiique Romani Majestatem semper observâsse dicitur Reinkingio, in cujus rei testimonium affert præjudicium, ceu vocat, non ita pridem in causa appellationis Schmilach contra Nassaw pro fundanda jurisdictione Cameræ, conceptum, ubi decretum: *Wolte Nassaw seinem Erbieten nach beweisen und darthun/daß keiner aus Lieffland an das Kaysersliche Cammer-Gerecht appelliren mag/er habe dann zuvor an einem gemeinen Landtage vor allen Herren und Potentaten des Liefflands (fuère hi procul dubio Magister ac Proceres Ordinis Livonici) appelliret, daß solches gehöret/er thue solches/oder nicht/soll in puncto volutionis erkannt werden/was recht ist. Auct. decis. & præjud. Cameral. verb. appellare, quibus, à quibus &c. Livoniam itaque fuisse, concludit tandem prælaudatus Dn. Cancellarius num. 63. & jure adhuc esse partem Germaniæ & Imperii Romani provinciam & pro tali adhuc à Maximiliano II. Imperatore in Comitibus Ratisbonensibus Anno 1577. habitam, ac in anterioribus Comitibus Spirensibus propterea Legationem ad Magnum Moscovia Ducem Imperii sumptibus, faciendam decretam*

ex recessu Imperii Ratisbonensi de anno 1376. constat:
 Wir haben auch zum sechsten/ibi: Wie es auch zu dieser
 eine Gelegenheit mit dem hochbedrängten Lieffland / und
 was nechst zu Speyer und Franckfurt/der Legation hal-
 ber/an den Groß-Fürsten in die Moscovy auf der Stän-
 de gemeinen Kosten vorgehen zu lassen beschlossen worden/
 &c. Postquam verò Livoni vicini Moscoviæ irruptiones
 hostiles sæpius experirentur, auxiliis Imperii destituti, nec
 spes affulgeret, quæ è tam longinquo loco suppetias sem-
 per, quodocunque opus fuerit, sibi promitterent, coacti
 tandem clientelæ ac tutelæ Regis Polonorum, Sigismun-
 di, M D LIX se commiserunt; Cum Ordo Livonicus
 per CCC LIIIX annos durasset. Inter hos tamen Reva-
 liensæ Regis Svecorum Erici opem implorarunt, ejusque
 dominio se subjecerunt; Quorum exemplum imitati reli-
 qui, superatis à GVSTAVO ADOLPHO, gloriosæ memo-
 riæ, Heroe sine pari, vereque Magno, copiis ac præsidariis
 Polonicis, anno hujus seculi vigesimo nono, Imperium
 Svecicum agnoverunt, cujus præsidio fortissimo hæctenus
 in præsens usque feliciter ac tranquillè frui sunt. In quam
 rem conferri potest Joh. Sleidanus de IV Monarchiis con-
 tin. p. m. 486. & 549. ut & Theod. Reinking. loc. antè cit.
 n. 64. qui ex Gualtero Chronolog. Ecclesiast. sub anno
 M D LXI Livonos, deficientibus Imperii Romani auxi-
 liis, ac invalescente Moscovitarum crudelitate, & per hanc
 arcibus atque propugnaculis præcipuis amisissis, in po-
 testatem Polonorum primum biennio post venisse re-
 censet.

§. XXII. Istius regionis, ut & universæ Livoniæ caput est ac Metropolis R I G A, civitas insignis, sita ad Dünam fluvium, qui limites Curoniæ ac Livoniæ determinat; Emporium nobile, multumque varii generis mercibus clarissimum, civium opibus & mercatorum frequentia admodum celebre. De originibus hujus inclutæ civitatis res non adeò videtur pervia, cum de istis Borealioribus locis pauciora semper è Scriptorum monumentis excerpere liceat, quàm quæ quondam Historicorum ore innotuerunt magis. Quod quidem nominis concernit incunabula, non una omnium est sententia, seu, quod hoc præfertim loco obtinet, conjectura. Alii nomen esse contendunt patrium, quo veniunt horrea, suntque ædificia frumento triturando inservientia: fortè eo respiciunt nomine ad pristinam civitatis formam, cum dubium nullum sit, quin primum agricolæ unà cum piscatoribus locum istum inhabitare cœperint, ut adeò horrea plurima tum temporis ibi reperire licuerit. Vel soli fertilitatem & annonæ ubertatem prædicto exprimere voluerunt nomine; quò & illud facit, ut alii à *rigando* civitatem salutatam conjiciant magis, quàm probent; si quidem proventus annuos loci hujus pensitemus, à vero vix abierimus, quod si mercimoniis, frugibus &c. incolas rigatos quasi & fœcundatos asseruerimus. Sunt præterea qui fluvium *Rising*, intra mœnia civitatis se exonerantem, occasionem nominis peperisse putant. Superest originatio adhuc una, quam plerique reliquis censent esse probabiliorem, reique veritati propiùs accedere; scil. à tuguriis, unâ serie ac ordine in littore Dünæ exstructis, Rigam nomen accepisse

credunt , hac quoque ratione primordia civitatis spectantes.

§. XXIII. Cœpit Riga primùm condici circa seculum post natum CHRISTUM XII. s. anno MCC. vid. Herman. Conringius Lib. II. de finibus, Imper. Germ. cap. XXIX. p. 830. Postquam enim negotiatores Bemenses, huc appellentes, cum Livis pacta inierunt pro liberè exercenda mercatura, nec non consensum impetraverunt, ut facellum quoddam ad Dünam fluvium exstruerent, cui nomen Kirholm, quod aquis undique circumdetur, indiderunt, contigit fortunâ satis secundâ, ut ab eo tempore (circa annum M C L X.) loci commoditate ducti sedem cum successu felici figerent, atque sic occasionem condendæ postea civitatis suppeditarent. Et eo quidem, ceu docet prælaudatus Conringius l. c. ordine res gesta est: Menardus Monachus à Bemensibus advectus ad semina verbi Divini ac Christianæ doctrinæ inter barbaram istam gentem spargenda, anno post N. C. M C L X X. à Pontifice Romano, Alexandro III. caractere Episcopali ornatus erat, quò tanto cum majori auctoritate Ecclesiæ ibidem plantandæ præesset; sede positus hic Episcopus est Uxkillæ, cujus arcis rudera hodie ibidem videre adhuc licet, quatuor à civitate Rigensi milliaribus ad Dünæ ripam distitæ. In defuncti Menardi locum postea successit Bartholdus fortuna adversa usus in convertendis barbaris, quod religionis negotium vi ac armis conficiendum susceperat; in hac enim expeditione occubuit successori Alberto, Canonico Bemensi, infulam Episcopalem relinquens. Hic Albertus id, quod

quod antecessor Bartholdus sollicitè intentârat, armorum
 vilongè feliciter expedivit, ut omni potestate gentem istam
 exueret, ac exutam in suam potestatem redigeret. Cùm
 verò tutiori se adversus barbaros munire vellet loco, pri-
 mùm de condenda Rigâ cogitavit circa annum M C C.
in firmum, ut loquitur Conringius, *sedis suæ domicilium*.
 Quæ tamen ita accipienda sunt, ut ante Albertum jam facta
 credantur Rigæ fundamenta & à Bartholdo cœpta; sed is
 demum formam civitatis induxit, ac mœnibus primùm ci-
 vitatem cinxit. Vid. Albertus Cranzius Histor. Saxon. Lib.
 VII. c. XIV. Vandal. Lib. VI. c. XI.

§. XXIV. Hactenus originem Civitatis patriæ, fidem
 Hermanni Conringii, fide aliàs dignissimi, secuti pandi-
 mus: nunc ut speciatim faciem Ecclesiæ Rigenfis, adeo-
 que universæ Livonicæ pristinam politicæ formam opero-
 sius evolvamus, ordo exigit. Faciemus autem id Cranzii, ubi
 aliorum ope nunc destituimur, ubique adjuti suffragiis.
 Redeundum verò hic nobis erit ad priora, quæ modò de
 tribus Episcopis se ordine insequentibus recitavimus, ut
 singula exactius persequi nobis liceat. Menardus igitur
 (quem Cranzius nominat Meynerum & Meynardum) Ca-
 nonicus Zegebergenfis (cui non obstat, quod antea eun-
 dem dixerimus Monachum) postquam negotiationis in-
 stituendæ gratiâ in Livoniam concesserant Bremenses,
 plantationis Ecclesiæ novellæ autor exstitit; quem, sunt
 verba Cranzii Lib. VII. Hist. Saxon. cap. XIII. *eloquium*
Domini inflammavit, ut eidem populo infideli pacem
Domini nunciaret & paulatim calore fidei faceret scin-
tillare.

*zillare. Cumque Vir bonus per aliquot annos cum mercatoribus eò navigaret & operi pietatis devotus insisteret, sensit manum Domini non abbreviatam & auditorum devotionem plurimam. Quem successum prædicatæ doctrinæ Christianæ advertens Menardus, rem superiorum autoritate susceptam melius processuram judicat; Hartvicum igitur secundum, Archi-Episcopum tum temporis Bremensem convenit, institutum suum pium de Livonibus ad CHRISTUM perducendis exponens; atque ubi hæctenus fenserat operam se huic negotio sacro non frustra commodasse, ferventius nunc instat ac in eum finem apud Hartvicum precibus agit, velit sibi copiam facere publicè in Livonia docendi ac opus Domini urgendi. Postulato tam æquo, quam pio non poterat non assurgere Hartvicus; unde *impartitur*, loquitur denuò Cranzius, *Archiepiscopus volens Viro Zeloso evangelizandi auctoritatem, ipsumque pontificali subvectum honore mittit in gentem CHRISTO conciliandam.* Quâ potestate impetratâ Menardus lætus atque ad bella Domini strenuè gerenda paratissimus cum mercatoribus rursus in Livoniam concedit, sparsurus semina verbi Divini. Quod munus sacratissimum ut summa felicitate obiret, summam navabat operam; *arguendo, increpando, ceu habet nosse Cranzius, magis tamen obsecrando duritiem gentium frangens, ipsorum corda non minus muneribus, quam exhortationibus paulatim ad quod volebat, DEO annuente perduxit.* Hi fuere lucidissimi novæ inter Livonos exorientis lucis Evangelicæ radii, quos*

quondam excepit. Patria ubi Meinardi ministerio adjuvabatur atque Episcopatu ornabatur, cujus sedes teste Cran- zio exstitit RIGA; Verba ejus hæc sunt: *Annus erat sextus Et octuagesimus post centum at que mille cum in Livonia primùm sedes Episcopalis per Meynardum erigitur, in- titulata patrociniò beatæ Mariæ Virginis, in loco, qui RIGÆ dicitur.* Quæ si cum Conringianis à nobis antea al- latis concilianda forent; per hæc enim sedem Episcopalem non RIGÆ, sed quatuor ab hinc milliaribus, Uxkillæ fixam fuisse constitit, dicendum erit, quod Cranzius facta à po- tiori denominatione, RIGÆ nomine minora circumjacentia loca (hæc denominationis ratio & hodie in multis est usitata) involverit ac complexus fuerit. Multò enim pro- babilius credimus primis istis temporibus Uxkillam potius, quam RIGAM eo honore gavissam fuisse; cum partim Kirch- holmio, ubi quoddam à Menardo fuisse firmatum ab incur- sione malorum præsidium ipsemet Cranzius concedit, non longè distet, partim nulla ratione svaderi possit, Menardum Livoniam primùm ingressum in medio Rigen sium hostium, domicilium tutum quærere voluisse.

§. XXV. Menardum proximè excepit Bartholdus, vel ut alii eum vocant Bertoldus, Abbas de Lucca, (hodie Misniæ est civitas, & quondam nobile fuit Monasterium, idque arbitratur Abb. Cranzius c. l. fuisse Cisterciensium, eò, quod annales aliqui præferant Abbatem fuisse Grie- feorum Monachorum, quale genus vestium habuisse cre- dantur Monchi Cistercii.) Hic Bartholdus non minori ala- critate, quàm antea Menardus iter in Livoniam dirigit,

manus Menardo præbiturus; in quo tantam fidem commendavit, ut insigni zelo Christianismum propagare inter Gentiles contenderet, atque dignus censeretur, cui defuncto Menardo ab Archi-Episcopo Bremensi dignitas Episcopalis conferretur: Secundus igitur hic existit Episcopus Livoniensis. Bartholdus moræ & morum Barbarorum impatiens bonis verbis gentem supersticiosam in viam reduci non posse advertit, unde vi eos ac armata manu adigendos statuit; quam in rem auxiliatrices copias è Saxoniâ petit, Pontifice Romano eas non parum promovente. Verùm, qui mundanarum rerum solent esse insperati eventus! ipse Bartholdus in medio conflictu immani Barbarorum truculentiaë expositus interiit. Cuncta ore Cranzii rectius ac plenius proferentur, ita verò ille: *Bartholdus ad omnia pro CHRISTO pericula promptus subeunda, accepto, quod maligni armis potius, quam verbis subigendi viderentur, arma contraxit, quanta potuit in Saxonia: & apud summum Pontificem peregit, ut quoniam res Asia frigeant, cessavitque pro magna parte in eam peregrinatio, Celestinus, summus Pontifex remissionem peccatorum in Livoniam pugnantibus converterit. Unde excitati multi utriusque ordinis Viri & Ecclesiastici & seculares in sanctam se militiam cum Bartholdo, episcopo protinus accinxerunt. Profecti navigiis in terram, opposuere aciem venientibus ex adverso rebellibus fidei hostibus. Ubi jam ad conflictum ventum erat, Episcopus ferociori, quam regere posset, jumento deVectus fertur in vitus in medios hostes, ibique*

confoditur anno octavo & nonagesimo post centum & mille. Joh. Angel. Werdenhagius Bartholdum hunc non modò Ecclesiæ in Livonia propagandæ sed & Rigensi civitati condendæ & muniendæ adjutum à Bremensibus & fratribus ensiferis operam dedisse prodit; ubi ædificiorum struem in illo loco ex commerciorum occasione accrevisse adverterat: ipsiusque Bartholdi obitum non ad M C XCVIII sed M C XCVI annum refert. Vid. part. III. Rerumpl. Hans. c. XXIV.

§. XXVI. Bartholdo sic igitur è medio sublato successit canonicus quidam Bremensis, cujus nomen erat Albertus; Hic voto & consilio, addo & autoritate Archiepiscopi spartam episcopalem Livoniæ vacuum expleturus, Rigam per mare contendebat, *Vir, ut loquitur Cranzius c. l. acer ingenio & ad omnem pro CHRISTO laborem impiger, etate juvenis, manu & animo aque promptus.* Multa is ferebat cum Livonis Barbaris bella, milites eum in finem hinc inde colligens. Nec confectus est facilè certaminibus, quin per omnem ætatem adversus hostes vicinos sæpius aciem instruxerit, insigni subinde victoriâ potitus, eò, quòd Gloriæ CHRISTI amplificandæ litaret ac pro illâ quæque discrimina subire non recusaret. Ejusmodi militem egit Albertus prope per 30 annos, nullis curis & adversitatibus fractus; intra quod tempus longius Rigam ad formam urbis cinctæ muris primùm perduxit, ac tutum sibi præstitit territorium, de quo supra nonnulla allata sunt. Memoria præ cæteris videtur digna, ista nova crucegladiatorum ordinis ab Alberto facta institutio;

tio; quâ duobus post invicem suberant fratres & milites
 Magistris, Conf. Cranzius Histor. Vandal. Lib. VI, c. XI.
 Cum enim milites pro cruce CHRISTI arma moverent,
 ut hostibus debellatis doctrina Christiana magis magis-
 que effloresceret, nomen hoc gloriosum obtinuerunt. Hæc
 Livoniensis Ecclesiæ facies indies majora capiebat incre-
 menta, adeò, ut post aucto Ecclesiarum numero Episco-
 patus Rigensis Ordinatione Pontificis Romani in Archi-
 Episcopatum abierit, atque tres alios Episcopatus sub se
 complexus fuerit, scil. Curonensem, vel Curoniæ ad dex-
 tris, Dorpatensem à sinistris & à mari Osiliensem (est au-
 tem Osilia insula 7. prope milliaribus à limitibus Curoniæ
 distita) vid. Cranzius l. c. Joh. Ang. Werdenhagius pri-
 mum Archi-Episcopum facit Adolphum A. C. M CCLV
 eique Revaliensem Episcopatum subjectum fuisse memo-
 rat. De quorum posteriori haud immeritò dubitamus,
 cum certi simus Revaliensem Episcopum primùm Dano-
 rum paruisse Archi-Episcopo, ceu infra mox constabit.
 Cæterùm Pontificia ista per Bremeuses invec̃ta in Livoni-
 am religio viguit propè ultra tria secula, cum anno supe-
 rioris seculi trigesimo octavo unà cum Christiano, Da-
 niæ Rege ac Johanne Brandenburgico, Magistratus & in-
 colæ Urbis RIGÆ Augustanæ Confessioni per gratiam
 DEI addicti, in foedus Smalcaldicum sint recepti. Pri-
 mus Lutheranæ seu Evangelicæ Ecclesiæ Antistes fuit M.
 Andreas Knöpkius, à cujus tempore in veritate cœlesti,
 semel agnita, perstitit svavissima Patria ad præsens usque;
 Quam & hodie non minus fidelissimis, quàm clarissimis

Concionatoribus instructam impensè gaudemus. Admodum Reverendum Ministerium Rigense Capite ac Seniore nunc ornatur maxime venerabili, deque universa CHRISTI Ecclesiâ optimè ac dudum præclarissime merito, DN. M. JOH. BREVERO Past. Sen. atque in Gymnasio illustri SS. Theol. Professore Celeberrimo, Patrono & Præceptore meo plurimum devenerando, cui ob maxima ejus, quæ in me exstant beneficia, ut DEVS Opt. Max. se nec tam quietam, corporis animique vires vegetas gratiosè concedat, summis votis expeto.

§. XXVII. Statum ut nunc Patriæ civilem paucis expendamus, videtur requiri. Non potest verò non cuivis esse manifestissimum, quod a condita civitate proximis temporibus, Magistratus mixtæ potestatis, Ecclesiastico-Politicus gubernacula Republicæ Rigensis tractaverit; cum Episcopus Menardus, aut demum verius Albertus in Ecclesiam simul & civitatem sibi jus, pro more Pontificiorum, vendicaverit. Quia igitur antea in Alberto de novo crucegladiatorum ordine aliqua referre incepimus, ideò nunc quæ partim hujus ordinis, partim Reipubl. in genere fortuna subsecuta sit, pertexendum erit. Desiit autem ordo iste crucegladiatorum paucis interjectis temporibus; postquam enim in Prusiam pervenisent fratres Ordinis Teutonicorum (quos aliàs crucigeros, item marianos, nec non milites domûs hospitalis in Hierusalem appellari novimus, Conf. Herm. Conring. Lib. II. de finib. Imp. Germ. cap. 29.) atque à Livonicis crucegladiatoribus in auxilium vocarentur, *statim* (verbis Cranzii hic ut liceat!) *absor-*
buit

luit ille, ordo nempe fratrum Teutonicorum, gladio-
cruciatorum ordinem, & transierunt volentes in pro-
fessionem ordinis B. Mariae Teutonicorum. Ab hoc
 tempore aliam assumsit Respublica Rigensis & universa
 prope Livonia regiminis formam, nam adventantibus è
 Prussia crucigeris, ipsumque dominium occupantibus, sta-
 tim exortum est certamen de imperio inter Episcopos Li-
 voniæ & istos fratres Teutonicos, quodque Cranzius du-
 rârse ab illo tempore ad sua refert & in finem usus dura-
 turum credit; in quo posteriori tamen moderna Reipubl.
 forma ad oculum eum confutat. Cæterùm nec omitten-
 da hîc est conditio, qua fratres Teutonici cum Episcopis
 Livoniæ convenerint; scil. primùm tertia terræ pars in
 potestatem ordinis concedebatur, adeò, ut Episcopi duas
 tertias prædiorum pro bonis Ecclesiasticis sibi servarent:
 At paulo post fratres Teutonici huic conventioni insistere
 nolentes alia prædia vi occupârunt, ut teste Cranzio se-
 quenti tempore duas tertias obtinuerit iste ordo, Eccle-
 siâ vix tertiam prædiorum retinente. Et sic quoque inter
 Ecclesiasticum & seculare imperium hoc ipso tempore pri-
 mùm cœpit distinctio, Episcopis Ecclesiæ, & crucigeris,
 ejusque ordinis Magistris (*Heermeister*) clavo Reipublicæ
 præfectis.

§. XXVIII. Hæc Respublica mixti juris perseveravit
 usque ad seculum proximè lapsum, nam ubi Livoni à
 Moscovitis sæpius vexarentur, & ab Imperio Romano
 se deserere adverterent, tutelam Poloniæ Regis Sigismun-
 di expetiiverunt, ut defensionem regionis, salvo tamen

Imperii Romani jure susciperet, atque pro sumtibus belli novem arces ac præfecturas pignoris loco acciperet, D. Chytræus Lib. XX. Chron. Saxon. De cujus pacti eventu, circa Annum M D LXI sequentia refert idem Chytræus loco cit: *Polonia Rex, ad cujus patrocinium & tutelam, Magistrum ordinis Livonia & Archi-Episcopum Rigensem ac nobilitatem illis subjectam confugisse diximus, cum distractiones Livonia intestinas varias & multiplices & urbem Revaliam cum tota vicinia Sveco se subjecisse, aliquot etiam Provincias à Magno Holsatia Duce teneri cerneret; non amplius teneri prioribus pactis de defensione cum Magistro ordinis & Archi-Episcopo initis, multò minus conatum defensionis aliquem adversus Moschos suscipere voluit, nisi Archi-Episcopus & Magister ordinis, cum omnibus subditis suis se regno Polonia & Lithuania penitus subderent & solenni subjectionis juramento devincirent.* Hic itaque ubi Respublica Rigenfis, cum locis nonnullis aliis sibi subjectis jus Imperii Romani conservare quidem volebat, extremâ tamen coacta necessitate, ne in Moschi potestatem veniret, conditionem subjectionis à Polonia flagitatam subiit. In cujus regni fide non diu perstitit, ubi nimirum circa Annum hujus seculi XXVIII jugum ejus excusit, GVSTAVO ADOLPHO gloriosæ memoriæ, victricia arma contra Sigismundum, Polonorum Regem, circumferente. A quo tempore cum universa Livonia & nostra RIGA ad præsens usque, imperium Svecorum veneratur, in cujus præsidio tutissimè quoque

hodie agit, sub auspiciis Serenissimi ac Potentissimi Regis, DOMINI CAROLI XI, Herois incomparabilis, Patriæ Patris benignissimi, DOMINI mei elementissimi, cujus regnum confirmet fortissimus JEHOVA!

§. XXIX. De forma Reipb. RIGENSIS hodierna plura addere non attinet, cum omnium ore in universum propè orbem circumferatur; nec ignotum esse potest ei, quid hodie ibi rerum geratur, qui vel exigua modernorum imperiorum, regnorum & civitatum notiâ gaudet. Formam, ut multa paucis complectar, obtinet Aristocraticam, cujus cum quatuor species s. differentiæ lib. IV. Politic. cap. VII. ab Aristotele constituentur, non dubitaverim Rigensem Remp. in se consideratam (NB. nunquam hic excludimus imperium supremum Regium, quod ultrò agnoscere ac venerari RIGAM paulò ante diximus) ad primam harum referre; ut enim in reliquis tribus Aristocratix speciebus partim divitiarum, partim nobilitatis, partim & libertatis habetur ratio, ita hîc simpliciter spectatur in eligendis Magistratibus virtus, reique administrandæ publicæ peritia ac prudentia. Quæ singula in primam Aristocratix speciem quadrant. Magistratus civicus potissimum absolvitur amplissimo Senatorum ordine, cujus gradus haud incommode tres dixeris: In primo Regius BVRGGRAVIVS consistit, Regiæ Majestatis Svecicæ locum tenens, qui perpetuò Consulari dignitate eminet. Hunc excipiunt Magnifici Reip. CONSVLES, Quatuor-Viri, quorum tamen tres perpetuò, excepto prælaudato BVRGGRAVIO Regio, regimini præsunt. Hodie quaternarium

rium istū cum summo Reipublicæ commo-
 Magnifici, Amplissimi atque Consultissimi, Dn. GOTHAR-
 DVS *Begefack* / Dn. JOHANNES Zimmermann / Dn. JO-
 HANNES *Schulz* / & DN. PAVLVS *Rigeman* / Viri
 de univërfa civitate longe meritissimi. Tertium Amplissimi
 Senatorii Ordinis gradum occupant Nobilissimi ac Specta-
 tissimi Domini SENATORES, quorum numerum, &
 quidem inter primos, ingreditur Nobilissimus ac Jure-Con-
 sultissimus SYNDICVS, hodie DN. PAVLVS *Brock-*
hansen / qui omnes ac singuli salutis promovendæ publicæ
 unicè incumbunt, Ecclesiam liberaliter fovendo, Scholas
 benignè sustentando, civium denique ac subditorum salu-
 tem perquirendo. Veri nostræ Patriæ Patres, bono-
 rum omnium Fautores ac præcipuè eruditorum Patroni
 maximi, quorum in fovendis liberalioribus studiis singula-
 rem promptitudinem vel ingratis quique deprædica-
 bit, si in mentem revocaverit post Scholam Senatoriam il-
 lustre pridem erectum aut verius restitutum Gymnasium
 Rigense, bonarum artium domicilium ac morum politio-
 rum seminarium. Nec omittenda meritò est summa horum
 in alendis iis, qui studiis addicuntur, beneficentia; quam a-
 bundè splendidis, iisque annuis stipendiis testatam faciunt.
 Inter clientes, quique præsentis tempore Patrum benignis-
 simorum fruuntur liberalitate, & ego nomen profiteor
 meum, qua de causa gratias à me ipsis haberi summas, ani-
 miq; devotionem submissam exhiberi ipsa exigat æquitas &
 pium erga Patronos officium. Cæterum non nihil politiæ,
 Reip. Rigensi accedere quis crediderit, cum post Amplissi-

44

num Senatorium Ordinem duo Civium *collegia* honorata penitus intuetur; Horum enim Collegiorum in rebus ad communem usum spectantibus non exigua est autoritas. Ipsa collegia pro civium differentia sic variant, ut honoratiorum audiat collegium majus, quod constituunt Senior atque mercatores cæteri. Minoris collegii caput itidem est Senior quidam, aut Tribunus, accedentibus reliquis inferioris fortis civibus. Horum collegiorum non exigua laus est, ob singulare promovendi studium artes liberaliores, harumque cultores; id quod & suis stipendiis haud contemnendis luculenter testantur. Sicuti & ego Prænobilis Majoris Civium Collegii, ob Stipendium in me liberaliter collatum, gratum debitorem me profiteor, ac profitebor quoad vixero.

§. XXX. Tribus nunc porro verbis reliquæ è Livonia Civitatibus, quæ Hanseatico accesserunt fœderi, nobis notandæ erunt; inter has primùm occurrit una è regione Esthorum, ut habet Joh. Ang. Werdenhagius loc. sæpius cit. Parnovia, in provincia Odenpoa; Hic enim quatuor Esthorum regionem ait continere provincias, Odenpoam, Wirziam seu Wirland, Wickiam & Harriam, nominibus, ceu nobis pervasum habemus, antiquitus servatis; Olearius quintam addit, quam dicit Allentackiam. Hanc Parnoviam à Chytræo ejusque sequacibus omisam esse, atque ad Hanseaticas minus relatam queritur Werdenhagius, quum tamen, sunt verba ejus: *nunquam expuncta fuerit ex fœdere Hanseatico, sed etiamnum inter eas corporis Hansæ Civitates referatur, qui in quotisatione*

contributionis annuæ locum suum sartum tectum habent. Nomen habet Parnovia à fluvio Parnow, qui in sylva ampla intra Becam fluvium & arcem Weissensteinium originem trahere fertur, atque inde cum Fela fluvio unitus in maris sinum se effundit, ut adeò, loquitur denuo Werdenhagius, *locus hujus Urbis admodum emporio sit commodus, & commercii illius terræ omnibus congruenter aptus.* Parnoviam excipit Dorpatum seu ut alii efferunt Derptum, Derbatum, Torpatum; si ita est civitas in Esthonia ad fluvium Embeckam, Rigâ pluribus quàm triginta milliaribus distans, ut meminit Adâ. Olearius Lib. I. cap. III. Itinerarii sui Moscovitico - Persici, atque medium ferè in Livonia locum occupans: Ædes constructas veteri forma nec non muro cinctam laudat prædictus Olearius. Nomen unde hæc Civitas gerat, æque pervium non est, conjecturas enim, quas fovemus, eruditis obtrudere veremur. Cæterùm pristina hujus civitatis gloria Moschorum invasionibus ferè interiit, adeò, ut & ipsa per aliquot annos Moschi imperium agnoscere coacta fuerit, quemadmodum ex Chronico Livon. Henningii refert Olearius. Anno p. C. N. MCCXXX. Dorpatum à Magistro ordinis Tentonici superatum atque ad sedem Episcopalem evectum dicitur, pro ut & inter Episcopos Dorpatenses memorari solet Magnus Dux Holfatiæ, vid Olearius ex Chronic. Oldenburg. Hamelmanni p. 544. Anno MDLVIII. Moschorum Tyrannus Ivan Basiloviz in potestatem suam Dorpatū redegit, atq; imperio suo per annos 24. propè subjecit, cui tamen post Anno MDLXXXII. Rex Polonorum Stephanus denuò eripuit.

Verum nec hæc Stephani in Civitatem Dorpatensem imperium fuit diuturnum; namque post à CAROLO, Svecorum Rege, Sudermannix Duce, quem Sveci IX. appellant, Magni GVSTAVI ADOLPHI, Herois Gloriosissimi, Parente, regno Svecix est adjecta, in cujus limitibus & hodie adhuc persistit. Est & præterea Dorpatum regiminis Regii aulici sedes, nec non anno hujus seculi XXXII. à Rege, GVSTAVO ADOLPHO glor. mem. svasu Baronis in *Duderoff* / DN. JOH. SKYTTII, ceu refert Adam. Olearius loco cit. Academiâ ornatum; cujus Academiæ primus exstitit Rector Magnificus DN. JACOBVS SKYTTIVS J. F. itemque Pro-Rector DN. ANDR. VIRGINIVS, nobilis Pomeranus & SS. Theol. Doctor.

§. XXXI. Revalia, quam quarto loco inter civitates Livoniæ ponere lubet, Esthoniæ est Civitas ampla ac opulenta; cujus verò provinciæ partem in Esthonia conficiat, dubium videtur: nam Joh. Ang. Werdenhagius eam provinciæ Harriæ adjudicat, renuente Adamo Oleario, qui libri II. itinerarii sui c. VIII. ad provinciam Wirriam referendam esse Revaliam docet. Nostrum quidem parum interest hanc litem dirimere; Olearii interim sententiam certis de causis præferendam esse nulli dubitamus. Exstructa hæc civitas creditur à Waldemaro Rege Daniæ, hujus nominis Secundo A. C. N. MCCXXX; unde & Daniæ imperium per multos annos sustinuit, usque dum à Goswino ab Eck, ordinis Teutonici Magistro, unà cum Weseberga & Narva à Waldemaro Quarto, Daniæ Rege 19000 marcis argenti (fide Werdenhagii hæc referimus) emere-

emeretur atque portio fieret reliquæ Livoniæ. Dum autem Moschus sæpius in Livoniam armata vi irrueret ad exemplum aliarum Livoniæ civitatum, Revalia quoque ERICI, Regis Svecorū tutelæ se committere habuit necesse, quam tamen deditionem hæc fecerunt conditionibus, ut à Rege privilegia pristina ac immunitates, quibus hætenus erat gavisa, sartæ testæque permitterentur. Vid. D. Chytræus lib. XX. Chron. Saxon. Hæc quidem deditio primum contigit in ipsa Urbe Revaliensi, persistente ad aliquod tempus arce Urbi adjecta; Verùm & hæc anno Christi MDLXX. in potestatem Svecorum pervenit, idque per proditores effectum esse refert Werdenhagius. Statum Ecclesiæ ferè experta est Revalia cum reliquis similis sortis Urbibus similem; quondam enim & hîc sedes suas fixerunt Episcopi, quos Danum instituisse eo tempore, quo Rigensium florebat Ecclesia docet Albertus Cranzius lib. VII. Saxon. c. XIV. Conf. ejusd. lib. c. XXXVII. ubi & hoc addit, quod Revalia, à Dano ad Christianismum redacta, à primis temporibus semper permanferit sub Ecclesiastica ditione Metropolitanæ Lundensis, licet seculare dominium ad Fratres ordinis Teutonici in eadem provincia pervenerit. Ut adeò fidem Werdenhagio derogare §. supra 25. Revaliensem Episcopatum ad Rigensem Archiepiscopatum referenti haud iniquum duxerimus. Ab hac Pontificiæ Ecclesiæ gubernatione, tandem superiori seculo, per DEI gratiam luce Evangelicæ doctrinæ collustrata se liberavit, à quo tempore in præsens usque Episcoporum Revaliensium sedem ornârunt Superintendentes, quos vocamus, Ecclesiarum

70.

Inspectores Augustanæ Confessionis; qui simul Consistorii Regii nunc sunt Assessores, stipati Pastoribus aliis ac Concionatoribus eruditissimis, ut *αυτοπιης & αλμης* hujus rei testis nobis est Adamus Olearius in itinerario suo, loco citato. Felicitatem præterea civilis status consecuta est Revalia, quum foederi Hanseatico jungeretur, cujus foederis portio ipsa fuit haut ignobilis, atque jus stapulæ ac mercatus sistendi sibi inde Novogardiæ acquireret, quod jus variis pactis inter Svecos & Moschos passim firmatis, Anno sc. MDXCV. Teusinæ, & Anno M DC VII. Wieburgi, nec non Anno M DC XVII. Stolwowæ Revaliensibus subinde auctum ac stabilitum esse recenset prædictus Olearius.

§. XXXII. Narva, quam dicit Werdenhagius Nervam, ultimo accedit loco inter eas, quæ è Livonicis Civitatibus foedus cum Hanseaticis inierunt; sita est in Allentackenfi circulo seu provincia Esthoniæ una, vicina Ingermaniæ; nomen accepit procul dubio à fluvio, qui Narvam alluit, ejusdem nominis. Fluvium hunc incolas vocare Narvicam Beckam autor est Olearius cap. X. Creditur & hæc Civitas septem propè annos ante conditam Revaliam à Waldemaro Secundo, Rege Daniæ, exstructa. Civitati huic ab altera parte adjacet arx probè munita Ivangorod dicta, nomen habens à conditore Ivan Basilovitz, qui & per sequentia tempora in detrimentum, ut sperabat, Civitatis vicinæ, magis magisque eandem firmabat; hac etiam prospera usus est fortuna, ut Anno Christi MDLVIII Civitatem in suam potestatem redigeret; eam tamen Anno M D LXXXI victricibus armis REGIS Svecorum

JOHANNIS superatus, deferere coactus est. Ob loci & portus commoditatem Narva diu fovit commercia Hanseatica, donec annis M DC I & M DC II regio ista devastata nimium fuit; quod damnum refarcire laboravit maximè Maximus GUSTAVUS ADOLPHUS, utque ibi mercatorum commeatus restauraretur, procuravit. *Veluti*, sunt verba Werdenhagii: *etiam non tantum mercatores & colonos ex ipso Belgio illuc evocari curavit; sed quoque magnis privilegiis colonias illuc ducentes ornavit.* Atque tantum de Civitatibus quartæ metropoleos fœderis Hanseatici; in quibus si iusto fortè prolixius rem pertractasse videremur, non dubitamus, quin pium in Patriam officium, quo καδδύναμιν defungi voluimus, sed nondum defuncti sumus, nos excusaturum sit.

§. XXXIII. Sic tandem redimus in orbitam, atque ubi hæctenus de civitatibus Hanseaticis tam in genere, quam potissimum de nonnullis in specie, fusiùs egimus, nunc vel delibare saltem attinebit fœderis hujus à civitatibus initi primarias causas, ut & ejusdem successum, emporia administrandi rationem, modernumque, quantum fieri licebit, statum. Causam initi fœderis partim assignare possumus generalem, partim specialem; Illam communem alit hoc fœdus cum aliis societatibus, quarum compositarum maxima Aristoteli est civitas lib. I. Politic. cap. I. Estque ista partim naturalis impulsus, partim πείσιν τῆς αὐταρχείας πέρας seu omnis penè sufficientiæ summa; qua de causa civitatis duplici, longius paulum diducta, videsis in dissertatione mea de Societate composita maxima, quam triennio abhinc in

illustri Gymnasio Patrio sub præsidio VIRI Plurimum
Reverendi atque Amplissimi DN. M. D AVIDIS CAS-
PARI ad ædem D. Petri Ecclesiastæ optimè meriti, Phi-
los. in prælaudato Gymnasio Professor. Publ. Celeberr.
nec non Scholæ oppidanæ Inspectoris Gravissimi, Patroni
ac Præceptoris mei maximè venerandi, habui, thesi 1. 7. &
9. Speciales hujus fœderis causæ variæ afferri possunt; è
quibus tamen commercii maritimi libertas in regnis exte-
ris videtur palmaria. Scil. ut hæ civitates mercaturam li-
berè exercerent in commodum fœderis commune, è re fo-
re credebant, si viribus unitis itinera instituerent, quò obla-
to necessitatis casu se ab injuriis exterorum munire possent:
ceu in id ferè omnes consentiunt, ut David Chytræus, Alb.
Cranzius, Matth. Stephani, Reinkingius, Hagemeyerus &c.
quibus addatur omnino Herm. Conringius Academic. ex-
erc. III. de Urbibus Germ. num. 93. Joh. Angel. Werden-
hagius ab his quidem in totum non dissentit, communem
tamen causam fœderis initi credit unicè commercium in
Norvegia quondam felici successu à civitatibus hisce tracta-
tum, part. III. R. H. cap. XIII. Verùm accedimus magis
prælaudato Conringio, qui primam originem fœderi Han-
seatico dedisse studium conservandi maritimi commercii
cum peregrinis & non modò Norvegis, sed & Svecis, Da-
nis, Russis, Anglis &c. l. c. judicat. Sed & præterea non dif-
fitendum est, Civitates has Societatem iniisse, communis
pacis, salutis ac boni regiminis ergo; quod ipsum in corri-
gendis moribus immorigerorum luculenter testatum fece-
runt. Sanè non ob alium finem Brunsvicenses Anno

M CCC LXXXI ex Hanſæ Societate excluſi ſunt, cum inſolenter egiffent adverſus ſuperiores & homicidii procerum civitatis ſe reos feciſſent. In quam octennio poſt demum recepti ſunt, ubi ſeriam egiffe pœnitentiam videbantur. Simile prodit exemplum Colonienſium à communionem Hanſæ itidem ſegregatorum Anno M CCCC LXXV. ſed ad inſtantiam Imperatoris & Archiepiſcopi Colonienſis facta prius ſatisfactione iterum ſuſceptorum. Vid. Alb. Cranzius Lib. IX. Hiſt. Vandal. cap. VII. & Lib. XIII. cap. XII. ex quo ſua tranſcripſit Matth. Stephani Lib. II. part. II. cap. III. de iuriſdictione. Apprimè huc faciunt, quæ ex Joh. Reckmanno Lubec. Chronic. fol. 35. collegit Chriſtophorus Beſoldus in Theſauro pract. ſub voce *Hanſee-Städt.* Es iſt aus dieſer Geſchicht (verba prius fecerat Reckmannus de Brunſvicenſibus dejectis ac demum receptis) und Exempel zu mercken / daß die Verbindnuß gemeiner Hanſee-Städte vorgenommen iſt / nicht allein der Rauffſchaft halber / ſondern auch umb gemeinen Friedens und Einigkeit / und gut Regiment / und Gehorſam in allen Städten zu erhalten / derohalben ſie auch ſolche Straffe unter ſich gehabt haben.

§. XXXIV. Succesſum hujus fœderis quod attinet, feliciffimus is atque ex voto fœderatorum accidit; dum enim vix aliquot annos duraverat, ingentem opum vim hac ratione ſibi accedere videbant, ut Indies plures Civitates harum fœdus anxie expeterent, & aliæ, quæ intererant, ſibi de inſigni felicitate tacite gratularentur. Opulentiam hanc, ceu fieri conſuevit, excepit ſumma ac multis

Regibus ac Principibus formidabilis Hanseaticarum potentia, ut non causa defuerit Petro Bertio Lib. III. rerum Germ. cap. IV. subjiciendi sequentia: *Hoc constat, Civitatum Hanseaticarum ope, gravia bella olim fuisse composita, discordias Regum Principumque vicinorum sopitas, pacem restitutam, quod magnum crederetur momentum ipsorum potentia allatura, si sese alterutri parti adjunxissent: merito ut societas Teutonica sequestra pacis publicæque per Germaniam tranquillitatis procreatrix multis jam seculis habitata sit. Quò faciunt eximia privilegia ac immunitates à Regibus ac Principibus, Anglo, Dano, Hispano, Sveco, Gallo impertitæ, quæ recensere hîc singula, nostri instituti non fert ratio, unde benevolum Lectorem ablegamus ad alios, hæc fusius persequentes, Cranzium, Chytræum, Bertium, Reinkingium, Matth. Stephani, Limnæum, Werdenhagium, Hagemeyerum &c. Cæterùm non parùm diminuta est sequentibus temporibus hæc tantopere deprædicata Hanseaticarum Civitatum felicitas, ut non paucæ inter eas sint repertæ, quæ potius hoc excedere fœdere, quàm diutius eidem interesse voluerint, difficultatibus hinc inde obortis, quas à se superari non posse facile prævidebant. In causas verò hujus decrementi inquirentibus non unam affert laudatus Conringius loc. cit. de quibus ipsum perorantem audiamus: *Præcipua fortè causa est, inquit, sociarum Urbium magna inæqualitas, quæ ut omnium fere seditioinum mater est, Et causa ita quoque omnes in universum societates solet dissolvere, cum nempe parvæ Urbes exiguæ**

guum ex hoc fœdere fructum percipere existimarent, pleraque ad se majoribus trabentibus primum ab his negligi societas, mox & relinqui cœpit. Ad hoc, ipsa illa exteræ gentes nauticis commerciis operam dare Hanficorum exemplo didicerunt, quibus tamen in Germania non ea immunitates concessæ. Huic orta invidia & societati suæ libertas passim est erepta denique haud parum detrimenti attulit quoque Hansicis Flandrorum & Hollandorum mercatura & rei nauticæ studium: quo ille gentes ab Anno usque M CC XX cum primis autem post quingentesimum floruerunt. Primò enim interceptus Monopolii fructus mox præcipua nautici commercii vis ab Hansicis in Hollandos tandem transit. H. I.

§. XXXV. Pristino Hanseatici fœderis flori protrudendo maximùm profuerunt quatuor emporia seu computatoria, aut conthoria, quæ vocant, Hansæ Teutonicæ. Sunt autem ista emporia primum constituta, ut in his domos, collegia & jurisdictionem propriam Hanseatici tenerent, quæ gratiâ peregrinorum Regum ac Principum pro commodiori mercaturæ cultu diversis in locis obtinuerunt. Horum quatuor sequenti communiter recensentur ordine: Primum est Londinense in Anglia ab Henrico III circa Annum CHRISTI M CC LVIII, Hage-meierus (susplicamur fortè vitio id accidisse typographi) ponit Annum M CC LXVIII; amplissimis privilegiis ac immunitatibus est donatum, quas à subsequentibus Regibus quatuordecim confirmatas dicit Hagemeyerus, ipsorum Regum rationem non habens. Ex Matth. Stephani

autem l. c. undecim successores Henrici III vestigiis instituisse colligimus, ut Edvardum II. III. IV. & VI. Richardum II. & III. Henricum IV. V. VI. VII. & IIX. Secundum Civitatum Hanseaticarum emporium fuit Brugense in Flandria, quod Anno M CC LXII teste Matth. Stephani primum vigere & Anno M CCCC LXXX labefactari ac everti rursus coepit; Bello enim Brugenium portus Civitatis est obstructus, quo obstructo emporium hoc Antverpianum est translatum, ubi & summa privilegia Hanseaticis sunt concessa. vid. D. Chytræus in Saxon. Histor. Lib. XXIII. nec non ex hoc Matth. Stephani & Joach. Hagemeyerus. Tertium emporium Hanseaticorum Novogardia, quæ est Rusiæ Civitas, existit, (procul dubio insignem Novogardiæ potentiam Incolæ indicare suo proverbio voluerunt: *Quis potest contra DEUM & magnam Novogardiam?* vid. Cranzius) quodque per trecentos ferè annos ab Hansæ Teutonicæ mercatoribus est frequentatum. Primitus sub Johanne Moscoviæ Duce, (hæc fide Matth. Stephani recitamus) Basilii Patre interire incepit, & Anno M CCCC XCIV prorsus exspiravit, unde Novogardiense emporium translatum est Revaliam, & inde (vid. Hagemeyer l. c.) post annos quasi 50. Narvam Rufforum, ubi à Demetrio Duce Lubecenses, Hansæ nomine, anno M DC XX impetrarunt licentiam extruendarum ædium sub certis privilegiis. Sed bello Svecico, aliisque impedimentis intervenientibus, societatis negotia in his partibus nondum restituta sunt. Quartum & ultimum Hanseatici habuere emporium Bergæ in Norvegia, quod suo tempore floruis-

floruisse Matth. Stephani & veteris emporii vestigia retinuisse ex Chytræo in Chron. Saxon. fol. 676. Polid. Virg. lib. XVI. Histor. fol. 314. & Lindenberg. in Chronic. Rostoch. lib. I. cap. IX. comprobatur. Sed & hoc emporium suos passum est manes ob nobilitatem, ceu fertur, Danicam, se contra Regum privilegia negotiationibus immiscentem. Cæterum de his 4. emporiis, eorumque origine, conditionibus, incrementis, decrementis ac restaurandi mediis adeas prolixissimè dicentem Joh. Marquardum J.C. Lib. II. de jure Mercat. & Commerc. cap. XIV. per. tot.

§. XXXVI. De communi negotia societatis administrandi ratione plura hic addere non licet, quã quod supra de comitiis Lubecæ institui solitis meminimus: cum enim de negotio suscipiendo, vel suscepto expediendo consulendum erat, indicebantur partim univèrsalia, partim particularia comitia; univèrsalia vocabantur comitia, ad quæ totum Hansæ corpus celebranda accesserat, particularia autem, ubi unius quartirii vel circuli civitates convenerant. Hæc comitia solennibus auspiciis Lubecæ habebantur, nisi quod Colonia Agrippinæ, Hamburgi, Rostochii & alibi, sed rarius aliqua habita ferantur. Quibus in comitiis res ad societatem spectantes decidebantur, mediæ ad res feliciter gerendas eligebantur, malè facta corrigebantur & univèrsæ ad eò societatis salutem consulebatur. Tributa, cum sine nervis res geri nequeant, singulæ civitates pependerunt pro certa sorte ac fortuna cujusque civitatis, opulentioribus plus, minoribus minus in commune ferentibus. Specialem in emporiis quatuor dictis rerum Hanseaticarum administrationem

nem non tam nostris, quàm Petri Bertii verbis ex loco antea cit. exponere placet: Collegio, inquit, præerat in singulis emporiis Præfectus Senior quem alii Consulem, ipsi Aldermannum vocabant. Is cum Assessoribus constituebat Senatum mercatorum, habebatque sibi adjunctum Secretarium, Quaestorem Archimagirum aliosque necessariorum numerum Administratores, qui cum Lubecensi Senatu communicabat res plerasque controversas dijudicabat, nec dabatur ab ipsorum sententia, nisi ad alias Civitates Hanseaticas appellatio.

§. XXXVII. Quæ nunc coronidis loco de præsentis fœderis Hanseatici facie adjiciamus, pauca suppetunt: cum enim variis de causis, jam fere ante seculum felicitatem Hanse ac splendorem pristinum imminutum ac propè amissum antea recitaverimus, non possunt non ipsa quoque splendoris amissi vestigia hodie esse deleta ac abolita; adeò, ut filci Anglicani Præfecti ante annos XXV publicè Londini societatem Hanseaticam tum temporis plane desiisse affirmaverint, atque Domum Hanse, quæ Londini est, Teutonicæ *Staalhoff* seu *Steelyard* vel *Düdsche Schildhaller* anglicè dictam, audacter oppugnaverint. Hisce tamen nihil obstantibus asserendum videtur, quod etiamnum aliqua societatis prædictæ, inter maritimas quasdam Civitates potissimum, jura vigeant ac pristinum valorem obtineant. Hujus assertionis nostræ fundamenta sternunt pacta non adeò ante multa tempora Hanseaticarum Civitatum cum exteris sancita, aut renovata. Idem confirmant literæ nomine universæ Hanse Teutonicæ ad Prin-


Principes Germaniæ datæ. Sic elapso anno M DC LV.
mense Majo in Galliâ Rex Ludovicus XIV. pacta cum Han-
seaticis renovaverat, quæ dudum à Ludovico XI. anno
M CCCC LXIV. & M CCCC LXXXIII. à Carolo VIII.
anno M CCCC LXXXIX. à Francisco I. an. MD XXXVI.
ab Henrico II. an. MD LII. & denique ab Henrico IV. an.
M DC IV. sancita fuerant ac inita; ceu prodit Tractatus
specialis, circa maritima negotia Regis Galliarum, Lu-
dovici XIV. cum Hansæ Teutonicæ Civitatibus, quem
inter publica exstare documenta testatur Joach. Hagemei-
rus cap. V. sub fin. de fœder. Hans. Hic vel solus sufficiat
Joh. Marquardus, qui parte poster. Tractat. singul. de jur.
mercat. & commerc. singula prælaudatorum Regum pri-
vilegia ordine à pag. 13. ad 51. & integra affert; hisce jungit
litteras, quas vocant, creditivas, quibus duobus Senatori-
bus Hamburgensibus, D. Davidi Penshorn atque Dieteri-
co Möllero, plenam impertierunt potestatem Legatorum
obeundi munus, utque pro talibus Galliam modò petituris
à quovis habeantur, ac pro Legatis Hansæ Teutonicæ agno-
scantur, curârunt. Inscriptio habet: Wir Bürgermeistere
und Rath der Städte Lübeck / Brehmen und Hamburg
thun hiermit kund / daß wir in unserm und der übrigen Han-
see-Städte Nahmen an den Großmächtigsten Fürsten
und Herrn / Herrn LVDOVICVM XIV &c. Aus un-
sern Mitteln zu Legaten deputiret und gewehlet haben &c.
Subscriptio verò: In Urkund haben wir gegenwärtiges
Mandat mit dem gemeinen Hansestädtischen Siegel / wel-
ches wir in dergleichen Hansestädtischen negotien zu ge-
brau-

brauchen gewohnet / bestättiget. Gegeben in Lübeck den
20 M. ji Anno 1654.

§. XXXVIII. Nec multò ante privilegia Hanseaticis confirmata fuisse & aucta ab Hispanorum Rege Philippo III anno M DC XLVIII Mense Junio ex actis Hispanicis evincitur, vid. denuò Marquardun loc. cit. Simile comprobant literæ universæ societatis Hanseaticæ nomine ad Serenissimum Electorem Saxonix, b. m. DN. JOHANNEM GEORGIUM II anno M DC LVII perscriptæ pro concedendis immunitatibus in nundinis Lipsiensibus, quas ab anno M DC XVIII gratiâ Electoris possederant. Subscriptio literarum hæc est: Gegeben unter der Stadt Lübeck Signet, dessen wir uns in gemeinen Hånsischen Sachen zu gebrauchen pflegen/den 15. Februarii 1657. Bürgermeistere und Råhte der Städte Lübeck/Brehmen und Hamburg /für sich und im Rahmen übriger Teutschen Hansee Städte. Atque hoc ipso nomine insigniverat Serenissimus Elector Civitates prædictas, in Diplomate 5 Dec. ann. M DCLVIII. perscripto verba ejus sunt: Hiemit thun kund und bekennen (Wir JOHANN GEORG Herzog zu Sachsen &c.) Demnach bey uns die ehrbare und ausschreibende Frey- und Reichs- auch unirten Teutschen Hansee- Städten durch Abgesandte zu unterschiedenen mahlen mündlich und schriftlich umb Abschaffung des auf die Wahren gesetzten Geldes angehalten &c. Ut adeò hisce stantibus Joach. Hagemeyero non defuerit causa suo nobis accedendi suffragio; ita verò ille cap. III: *Ceterum licet singula Civitates, quas modò re-*

cenſuimus (vide & eas à nobis ſupra recenſitas) *hodie non amplius ad ſocietatem pertineant, quibusdam ſuperiori, & hoc noſtro ſeculo, propter imbecillitatem recedentibus à corpore, quibusdam verò propter amiſſam libertatem neglectis, durat tamen etiamnum,* (ſcribit verò hæc Hagemeyerus ann. MDC LXII) *inter præcipuas Urbes, quales ſunt Lubeca, Brema, Hamburgum, Daniſcum, Brunſviga, Colonia Agrippina, Magdeburgum, aliæque, illuſtre fœdus Hanſeaticum, quod præter Imperatorem, ſicut ex diverſis literis, Receſſibus & Conſtitutionibus apparet, exteri quoque Principes & ſtatus agnoſcunt, ut mirari ſatis non poſſim Informatorum Fiſci Anglicani inſignem impudentiam, qui ante annos quaſi tres Domum Teutonicam ſive Stihardanam, quæ Londini eſt, ex hoc capite in Parlamento inprimis oppugnarunt, quaſi fœdus Hanſeaticum eſſe deſerit; ſed huc falſa ineptæque objectioni, per publicum ſcriptum Societatis nomine, ann. MDC LIX. ſufficientiſſimè reſponſum eſt, quod Actis adjecimus.* Plura his addere pagellarum & præſertim temporis vetat anguſtia; ideoque receptui canentes DEO Adjutori noſtro grates devotas ſolvimus.

F I N I S.


QUæ Civitates Hanseaticas ornant,
Ætas, opum vis atq; fama præclara;
Curis & amplò dum labore Te ex-
ercent,

Spondent laboris præmia ampla, MEIERE;
Ac morum honestas, sic opesque doctrinæ
Et fama Te, dilecte semper ornabunt.

*Eximio Dn. MEIERO, Amico optimo & favore
bonorum omnium dignissimo Imq; gratulatur*

JOHANNES GUILIELMUS BAJER.
S. Theol. D. & Prof. Publ.

QVando poposcerunt aliorum tempora somnum,
Docta Tuos oculos crena morata fuit;
Hinc superaſti etiam multos virtute labores,
Tempus in arte diu nunc poſuiſſe juvat.
Nominibus doctis adjunget pagina ſcripta
Eamam, Conatús ipſe ſeqvetur honor.

*Viro - Juveni Eximio & Clare docto, Autori Reſpon-
denti doctiſſimo, SS. Theologiae Cultori maxime
ſtrenuo, Auditori meo ſedulo eſtimatiſſimoque,
egregiam eruditionem, nec minus ſingularem mo-
rum comitatem ac innocentiam, proſperosque ſuc-
ceſſus gratulaturus facieb.*

VALENTINUS Beltſhem / SS. Theol. D.
P. P. ac Collegii Theologici h. t. Decanus.

Fœde-

Fœdendis Flammati qui nomen pandis,
& ortum
Fortunam variam, nec non præsentia
fata

Et simul in patriæ virtutes ora resolvis,
A claris Patriæ Patribus tam dignus amari,
Quam porro ornari fueris, me iudice, di-
gnus.

*Benevolentia testanda ergo
scribeb.*

CASPAR SAGITTARIUS, D.
Histor. Prof. Publ.

Dum redeunt nobis blandi primordia
Veris,
Quàm Studiis redeunt tempora gra-
ta simul!

Hinc incensa fuit MEIERI industria di-
gni,

Præmia qui meritò conduplicata ferat.

Gratulab. scribeb.

JOH. FRISCHMUTH,
Prof. Publ.

EPISTOLA

ad

VIRVM-JUVENEM

Præstantissimum atque præclarè Doctum,

DN. HENRICVM MEIER VM, Rigens.

Differtationis Historicæ, quæ est

de

Civitatibus Hanseaticis,

AUCTOREM.

Alter jam labitur annus, & fere elapsus, ex quo *Salanam* hanc studiorum feliciter & cum fructu persequendorum gratiâ salutasti. Postquam enim in Patrio *Gymnasio* verè illustri, sub ductu VIRORVM omnigenæ eruditionis laude clarissimorum, publicè ibidem cum maximo studiosæ juventutis commodo scientias ac artes profitentium, tantos feceras profectus, ut ipsi Præceptores Excellentissimi Tibi de lustrandis Academiis existerent auctores, nihil æquius duxisti, quàm morem gerere monitoribus fidissimis; nihilque credidisti utilius, quàm superatis laboribus Gymnasticis altius assurgere & Academica tractare studia. Ita quidem patrium Te vertere solum par erat! Verùm quod aliud literarum domicili-um ingredi reueris, quàm JENAM nostram, id omne VIRO de Te & me optimè merito deberi sat scio; VIRO, inquam, Plurimùm Reverendo atque Amplissimo, DN. M. DAVIDI CASPARI, Ecclesiastæ ac in *Gymnasio Rigensi* Professori celeberrimo, quem ante plures annos in *Academia Regiomontana* docentem audivi. JENAM igitur ubi concesseras, mihi statim, nescio, quo fato innotuisti, cum sub ipso ingressu contubernio mecum frui communi atque deinde arctiori necessitudinis nexu mihi addici velles. Ex quo tempore Te morum probitate & discendi ardore bonis omnibus valde probasti, ut vel Ego, cujus qualemcunque in Philosophicis atque nuper Mathematicis ductum sequi Tibi erat visum, adhibita Tuæ insignis diligentia testimonium ferre nullus dubitem. Ast quid opus testimonio hocce meo exiguo? Testentur publi-

THEOLOGO, atque PHILOSOPHO Excellentissimi, quorum ab ore hactenus sedulus pependisti! Loquantur privata Cathedra, tam Theologica, quam Philosophica, quas sæpius & respondendo & opponendo masculè animasti! Et momentum tandem omne superaddat hoc egregium eruditionis Tuæ Academicæ Specimen, quod in Dissertatione Historicâ de Civitatibus Hanseaticis luculenter sistis! Sed ne domesticus testis in commendanda Tua Dissertatione suspicionem apud non-neminem incurram sinistram, aliis iudicium relinquo; modò de pietate, quam in Patriam, ejusque PATRES Magnificos, gratâ beneficiorum Tibi exhibitorum commemoratione plus satis exferis, testari mihi liceat, quamque in Te hostis etiam invitus laudaverit. Jam dudum Amplissimorum RIGENSIVM PROCERUM *eximia in DEVM* (verbis utor Theologi fidei & vitæ famigeratissimæ, B. D. Henrici Mülleri è Dedicatoriis laboris cujusdam sacri ad EOSDEM PROCERES quindecim abhinc annis datis) *pietas, laudabilis in religionem verè Christianam affectus, summa in gubernandis subditis prudentia, maximum in literas, eosque qui iis excolendis dediti sunt, studium, exteris innotuit atque cum amplissimâ nominum famâ increbuit: Æquitate igitur nihil Tibi videbatur æquius, quam civis in hoc boni explere vices & clientis personam ornare devoti. Nec est, quòd de reciproco Benignissimorum PATRVM in Te amore ac studio dubites; si enim animus gratus verè ad beneficia calcar audit, sane polliceor fore, ut pro decantatâ suâ munificentia PATRONI Optimi studia Tua amplis subsidiis porrò fovere, Teque in patriæ Ecclesiæ salutem conatûs dirigentem juvare pergant. Tuum nunc erit vestigiis insistere coeptis, ac laboribus consvetis sincerum DEI amorem perpetuo jungere vinculo; Sic prosperè cedent cuncta, atque Divinam in omnibus experieris benedictionem largissimam. Vale.*

P Nec cunctis idem prorsus Apollo placet.
Te, MEIERE, autem laus summa manebit in orbe,
Dum tam præclarum mens Tua cudit opus.
Degant, quos sistis, cives in pace perenni,
Nec levet ipsorum vincula turba mala!
Sic neque pro merito Tibi præmia larga negabit
Patria, cum reliquis, quos Tua Musa colit.

*Boni ominis ergo l. m. g.
scrib.*

M. NICOLAUS Eggers /
Luneburgensis.

Hansaticos Cives MEIERVS sistit; & ipso
Se Civem dignum non sine laude probat.
Applaudo cœptis: Patriæ sint ampla parata
Præmia, cui laudes hic celebrare studes!

*Eruditissimo DN. Auctori - Respondenti, Civi suo
honoratissimo gratulab. scribeb.*

OTTO Sehlmann / Rigenfis,
Phil. & SS. Theol. Studios.

